6
8-d

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
7 И B
49

XIII Bb 100 f 2c
6-5 d

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

DE ARTE
DICENDI
LIBRI TRES
CYPRIANI
SOARII.

DE ARTE DICENDI

LIBRI TRES

Servata methodo, & magna ex parte verbis quoque

CYPRIANI SOARII.

ACCEDIT AUCTARIUM DE PERIODI NATURA ET PARTIBUS

AD USUM

SEMINARII, ET COLLEGII MONTISFALISCI

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Ex Bibliotheca Scholasticorum S. J. S. Andreae.

MONTISFALISCI MDCCLXXX.
Ex Typographia Seminarii
Superiorum Permiſſu.

D.PROB.ROM.S.J.

TYPOGRAHVS
LECTORI

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

MIraberis fortaſſe, Lector, ex hujus Seminarii Typis prodire modo ad ipſius uſum parvum Cypriani Soarii de Arte Dicendi libellum, aliis conſulto poſthabitis, qui majori cum elegantia, tum perſpicuitate de eadem fuſe ſcri-

ſcripſerunt: Verum ſi quae ad id impulerint, parumper attendas, quin & ipſe ſis conſilium probaturus, plane non dubito. Movit in primis Seminarium Patavinum, cujus praelo ad illius quoque uſum libellus hic fuerat longe ante impreſſus: Non ignoras autem, quanta in praecipienda recta, ſelectaque ſtudendi ratione ſit ejus auctoritas: Deinde probe ſcis Rethoricam ab eloquentia differre plurimum: Illa enim dicendi regulas praecipit: Haec iis appoſite utitur; Quare Craſſus apud Ciceronem (a) non a prae-

(a) Prim. de Orat. n. 146.

ceptis

ceptis ortum duxiſſe eloquentiam vere, ſapienterque dixit; ſed ex iis. quae quidam ab eloquentibus viris fieri ſaepe obſervarunt, ſaepe vero obſervata & ipſi egerunt, fuiſſe praecepta poſtea conſtituta, & rite concinnata; plus idcirco in hoc dicendi genere profecerunt, qui ſummis audiendis, obſervandiſque Oratoribus aſſueti, omnem deinde operam illis in re quaque imitandis locarunt, quam qui praeceptis, quae olim didicerant, exercendis ſe totos tradidere; Atque id fere eſt, quo Quintilianus nulla eſt Ciceroni ratione comparandus, quamvis ille

meliorem praeceperit dicendi methodum, magiſque probatam. Nec te latet, quod in veteri proverbio eſt: Pauca per praecepta: plura per exempla. *Cum itaque libellus hic quantumvis parvus & quantum ad dicendi Artem opus eſt, complectatur; & ſine temporis diſpendio, accedente maxime ſolertis Magiſtri diſciplina, adoleſcentibus hac in re inſtituendis aeque ac alii prodeſſe poſſit, quod deſideres, nihil videtur ſupereſſe. Vale.*

REIMPRIMATUR.

Si videbitur Ad. Rev. D. Vicario Sac. Palat. Apoſtolici Magiſt.

L. De Dominicis Vic. Gen.

REIMPRIMATUR.

P. Venturi Reverendiſs. P. M. Sac. Palatii Apoſtolici Vicarius.

BIBLIOTECA NAZ.

DE ARTE

DICENDI

LIBER I.

Caput I.

Quid eſt Rhetorica?

R. RHETORICA eſt vel Ars, vel Doctrina dicendi. Dicere autem eſt ornate, graviter, & copioſe loqui. Rhetoricæ officium eſt dicere appoſite ad perſuadendum; finis perſuadere.

Quæ materia Rhetoricæ?

R. Quibus in rebus verſatur ars & facultas oratoria, eas res materiam artis Rhetoricæ nominamus. Sed hoc intereſt inter alias artes,

& eloquentiam, quod ceteræ fere artes ſe ipſæ per ſe tuentur ſingulæ; bene dicere autem, non habet definitam aliquam regionem, cujus terminis ſepta teneatur. Omnia quæcunque in hominum diſceptationem cadere poſſunt, bene ſunt ei dicenda, qui hoc ſe poſſe profiteatur, aut eloquentiæ nomen relinquendum eſt. Materia enim oratori ad dicendum ſubjecta eſt omnis quæſtio.

Quot ſunt quæſtionum genera?

R. Duo ſunt, *infinitum*, ac *definitum*. *Infinita* quæſtio, quæ modo *propoſitum*, modo *conſultatio* appellari ſolet a Cicerone, eſt illa, quæ nullis finibus temporum, locorum, aut perſonarum circumſcribitur: ut cum quæro, *ſitne vis vi repellenda*. *Definita*, quæ proprio nomine *controverſia*, & *cauſſa* dicitur, eſt illa, quæ attributionibus perſonarum, temporum, aut locorum definitur: ut cùm quæro, *licueritne Miloni Clodium occidere ad vim repellendam*. Prior illa in hac includitur: ac proindè ſæpe Orator a *definita* ad *infinitam* declinat; ut cum

Ci-

Cicero in cauſſa Sex. Roſcii de parricidio diſſerit, in cauſſa Milonis de vi generatim & univerſe.

Quot ſunt modi quærendi?

R. Modi quærendi apud Rhetoras tres ſunt, *an ſit*, *quid ſit*, *quale ſit*. In quæſtione *an ſit* quæritur an factum ſit aliquid, & explicatur Conjectura. In quæſtione *quid ſit*, de facti nomine dubitatur, ex. gr. utrum ſit furtum, an ſacrilegium; & ſolvitur definitione. In quæſtione *quale ſit*, facti qualitas & conditio examinatur, bona an mala, utilis an inutilis, juſta an injuſta.

Quot ſunt quæſtionum ſtatus?

R. Status pro numero quæſtionum tres ſunt, *conjecturalis*, qui refertur ad quæſtionem *an ſit*; *finitionis*, qui refertur ad quæſtionem *quid ſit*, *qualitatis*, qui refertur ad quæſtionem *quale ſit*. Eſt autem is quæſtionis ſtatus, quo probato, aut confutato, in alterutram quæſtionis partem pronunciatur. Ex. gr. in Miloniana quæſtio eſt, *an Milo teneatur lege Cornelia de ſicariis, quod Clodium*

occiderit. Status quæſtionis eſt, *num jure occiderit*. Quidam nihil diſcriminis ponunt inter quæſtionem, & quæſtionis ſtatum: utrumque dicunt eſſe id, quod ex prima accuſatoris & defenſoris conflictione oritur. Quæſtio, quæ proxime ſequitur, *judicatio* ab iis vocatur.

Quot ſunt cauſſarum genera?

R. Tria, *exornationis*, *deliberationis*, ac *judicii*. In *exornatione* duæ ſunt partes, laus, & vituperatio: tempus tum præſens, tum præteritum. *Deliberatio* continet in ſe ſuaſionem, & diſſuaſionem, tempus vero futurum. *Judicium*, in quo præteritum tempus maxime valet, habet in ſe accuſationem, & defenſionem.

CAPUT II.

Quot ſunt partes Rhetoricæ?

R. Quinque ſunt partes, & quaſi membra eloquentiæ, *Inventio*, *Diſpoſitio*, *Elocutio*, *Memoria*, *Pronuntiatio*. *Inventio* eſt excogitatio rerum verarum, aut veriſimilium, quæ quæſtionem probabilem red-

reddant. *Diſpoſitio* eſt rerum inventarum in ordinem diſtributio. *Elocutio* eſt idoneorum verborum, & ſententiarum ad inventionem accomodatio, *Memoria* eſt firma orationis perceptio. *Pronuntiatio* eſt ex rerum & verborum dignitate, corporis & vocis moderatio. Nec audiendi quidam, qui Judicium ſextam eſſe partem voluerunt: adeo enim tribus primis partibus eſt infuſum (nam nec *inventio* ſine eo, nec *diſpoſitio*, neque *elocutio* fuerit) ut *pronunciatio* ipſa vel plurimum ab eo pendeat.

Circa quæ occupatur Inventio?

R. Quoniam igitur primum Oratoris munus eſt invenire, dabit operam, ut inveniat, quemadmodum fidem faciat eis, quibus volet aliquid perſuadere, tum quemadmodum animos conciliet, & ad quemcunque cauſſa poſtulet motum impellat. Nam hoc neceſſe eſt, ut is, qui nobis cauſſam adjudicaturus eſt, aut benevolentia propendeat in nos; aut argumentis ducatur; aut animi permotione cogatur.

Quid eſt Inventio, quid Argumentum & Argumentatio?

R. Inventio eſt excogitatio argumenti. Argumentum eſt probabile inventum ad faciendam fidem. Fides vero eſt firma opinio. Ut ſi velis fidem facere, eloquentiam eſſe expetendam; excogiteſque argumenti loco, eſſe artem bene dicendi; poſſis hoc modo argumentationem concludere: Ars bene dicendi eſt expetenda; ea eſt eloquentia; eſt igitur eloquentia expetenda. Argumentatio proinde eſt argumenti explicatio, qua, Dialectici preſſius, & religioſius; Oratores ornatius, & liberius utuntur.

CAPUT III.

Quotuplicia ſunt argumenta?

R. Argumenta partim in eo ipſo, de quo agitur, hærent, quocirca *inſita* dicuntur: partim extrinſecus aſſumuntur, quæ *aſſumta* vocantur: ut ſi dicas, eloquentiam eſſe expetendam, quod bene dicendi ſit ars,

ſit ars, ratio eſt *inſita* in eo, de quo agitur; eloquentia enim eſt ars bene dicendi. Sin expetendam dicas, quod Ariſtoteli, vel Ciceroni, vel Platoni ita viſum ſit, ratio erit *aſſumta*; auctoritas enim illorum virorum non eſt in ipſa eloquentia, quæ ſuapte natura eſſet expetenda ſine illorum commendatione. Fontes porro, unde argumenta ſumuntur, *Loci* vocantur.

Quot ſunt loci?

R. *Loci*, unde argumenta *inſita* eruuntur, numero ſunt ſexdecim. Alia enim ducuntur a *definitione*, alia a *partium enumeratione*, alia a *notatione*, alia *conjugata* appellantur, alia ex *genere*, alia ex *forma*, alia ex *ſimilitudine*, alia ex *differentia*, alia ex *contrario*, alia ex *adjunctis*, alia ex *antecedentibus*, alia ex *conſequentibus*, alia ex *repugnantibus*, alia ex *cauſſis*, alia ex *effectis*, alia ex *comparatione majorum*, aut *parium*, aut *minorum*. Argumenta extrinſecus *aſſumta* ex Quintiliano ſunt ſex, *præjudicia*, *fama*, *tormenta*, *tabulæ*, *jusjurandum*, *teſtes*.

Quid eſt Definitio, & quis definitionis modus?

R. *Definitio* eſt oratio, quæ id, quod definitur, explicat quid ſit: ut, Virtus eſt recta animi affectio; Rhetorica eſt doctrina dicendi. Definiendi hic eſt modus: Cum ſumpſeris ea, quæ ſunt ei rei, quam definire velis, cum aliis communia, eo uſque perſequare, dum proprium efficiatur, quod nullam in aliam rem transferri poſſit. Itaque ſi dicas, *Rhetorica eſt ars*; commune eſt, quod dicis: multa enim genera ſunt artium, ut Grammatica, Dialectica. Unum adde verbum, *Dicendi*; jam a communitate res disjuncta videbitur, ut ſit explicata definitio: *Rhetorica eſt ars dicendi*. Argumenti a definitione talis eſt formula apud Ciceronem in Top. cap. 2. *Jus civile eſt æquitas conſtituta iis, qui ejuſdem ſunt civitatis, ad res ſuas obtinendas; ejus autem æquitatis utilis eſt cognitio; utilis eſt ergo juris civilis cognitio.*

Quis uſus argumenti a partium diſtributione?

R. Argumentatione a *partium diſtributione* ſic eſt utendum, nullam ut partem relinquamus: ut ſi velis demonſtrare, calliditatem non eſſe virtutem, a virtutis partibus, quæ quatuor ſunt, Prudentia, Juſtitia, Fortitudo, Temperantia, ſic poſſis oſtendere: Omne, quod honeſtum eſt, id ex aliqua quatuor partium oritur; aut enim in perſpicientia veri ſolertiaque verſatur; aut in hominum ſocietate tuenda, tribuendoque ſuum cuique, & rerum contractarum fide; aut in animi excelſi atque invicti magnitudine ac robore; aut in omnium, quæ fiunt, quæque dicuntur, ordine & modo, in quo ineſt modeſtia & temperantia: calliditas ex nulla earum partium oritur; non eſt igitur virtus.

Quid eſt Notatio?

R. *Etymologia*, quæ verborum originem inquirit, a Cicerone dicta eſt *Notatio*. Ea ſæpe utuntur Ora-

 tores,

tores, & Poetæ, ut Ovidius 1. Metam. Fab. VI. v. 168.

Eſt via ſublimis Coelo manifeſta ſereno,
Lactea nomen habet, candore notabilis ipſo.

A *Notatione* ſumitur argumentum, cum ex vi nominis elicitur, hoc modo: Si conſul eſt, qui conſulit patriæ; non igitur Piſo conſul, qui eam evertit. Contra Cicero 2. de Orat. cap. 39. *Si conſul eſt, qui conſulit patriæ; quid aliud fecit Opimius?*

Quæ conjugata?

R. *Conjugata* dicuntur, quæ ſunt ex verbis generis ejuſdem. Ejuſdem autem generis verba ſunt, quæ orta ab uno varie commutantur. Ovidius lib. 2. de art. v. 277.

Aurea nunc vere ſunt ſæcula, plurimus auro
Venit honos.

Quid genus, quid forma?

R. *Genus* eſt, quod duas, aut plu-

plures partes ſui ipſius communione ſimiles amplectitur. Partes, quas genus amplectitur, modo *ſpecies*, modo *formæ* dicuntur: ut, Virtus eſt genus; plures enim formas, quatuor ſcilicet complectitur, Prudentiam, Juſtitiam, Fortitudinem, & Temperantiam, quæ ſunt ſimiles virtutis communione; ut prudentia enim, ſic juſtitia, ſic fortitudo, ſic temperantia virtus eſt. Hinc perſpicuum ſit, quid ſit *ſpecies*, ſeu *forma*: eſt enim pars generi ſubjecta. Argumentum a *genere* ſic tractatur. Virtutis laus omnis in actione conſiſtit; prudentiæ igitiur laus omnis in actione cnnſiſtit. Ex *forma* autem ſic: Quod juſtitia eſt, utique virtus eſt; tribuere cuique ſuum juſtitia eſt; ergo virtus eſt.

Quid Similitudo, & quid Diſſimilitudo?

R. *Similitudo* eſt, quæ traducit ad rem quampiam aliquid ex re diſpari ſimile. Ex ea ſumitur argumentum hoc modo: Ut quidam morbo, & ſenſus ſtupore ſuavitatem cibi non ſentiunt; ſic libidinoſi, avari, faci-

noroſi veræ laudis guſtum non habent. Contra ex *diſſimilitudine*, ſive differentia ſumit argumentum Cicero de Orat. lib. 2. cap. 40. *Si barbarorum eſt in diem vivere, noſtra conſilia ſempiternum tempus ſpectare debent*.

Quot ſunt Contrariorum genera?

R. Contrariorum genera ſunt quatuor, *Adverſa*, *Privantia*, *Relata*, *Contradicentia*. *Adverſa* ſunt, quæ in eodem genere plurimum differunt, ut virtus, vitium; quæ, cum animi habitus ſint, plurimum tamen inter ſe differunt; bellum, pax; ſapientia, ſtultitia; ex quibus argumenta talia exiſtunt: Si ſtultitiam fugimus, ſapientiam ſequamur; & bonitatem, ſi malitiam. *Privantia* ſunt habitus, & ejus privatio: ut lux, tenebræ; vita, mors; ſcientia, inſcitia, humanitas, inhumanitas: præpoſitio enim, In, privat verbum ea vi, quam haberet, ſi præpoſita non fuiſſet. Ex his ductum eſt illud Ciceronis in Miloniana cap. 29. *Ejus igitur mortis ſedetis ultores, cujus vitam ſi putetis per vos reſtitui poſſe, noli-*

nolitis? Tertio loco ſunt *Relata*: ut duplum, ſimplum; datum, acceptum; miles, imperator; docere, diſcere. Ex hoc loco eſt illud Cic. pro Marcell. c. 1. *Ex quo profecto intelligi debet, quanta in dato beneficio ſit laus, cum in accepto tanta ſit gloria.* Ultimo loco ſunt *Contradicentia*, quæ *ajentia & negantia* a Cicerone dicuntur: ut ſi hoc eſt, illud non eſt.

Quænam ſunt Antecedentia, Conſequentia, Copulata, & Adjuncta?

R. *Antecedentia* ſunt ea, quæ rem neceſſario antecedunt: *Conſequentia*, quæ rem neceſſario conſequuntur: *Copulata* ſunt ea, quæ plerumque cum re ſunt conjuncta; & quæ aliquid inter ſe commune habent, ſive præcedat, ſive comitetur, ſive ſequatur. *Adjuncta* ſunt ea, quæ rem quoquo modo attingunt, & *communia accidentia* dici ſolent, ut locus, ut tempus, ut cetera, quæ rem circumſtant. Apud Dialecticos *Antecedens* & *Conſequens*, non in re eſt, ſed in modo argumentandi, ac proinde non pertinet

ad

ad inveniendum, ſed ad judicandum. Apud nos *Antecedens* & *Conſequens* ſunt loci, unde argumenta ducuntur, & quidem maxime firma. Sparguntur per genera & formas, per cauſſas & effecta, per totum & partes, per proprias affectiones & definitiones. In his enim omnibus eſt aliquid, quod neceſſario antecedit, & aliquid quod neceſſario conſequitur. Ab *Antecedentibus* ita argumentum ducimus: Hic non potavit; ergo ebrius non eſt. A *Conſequentibus* ita: Hic ebrius eſt; ergo large potavit. A *Copulatis* hoc modo: Hæc mulier formoſa & otioſa eſt; ergo parum pudica. Ab *Adiunctis* ita ferme, ut Cicero in Catil. 1. c. 4. *Fuiſti ea nocte apud Leccam, Catilina; diſtribuiſti partes Italiæ; ſtatuiſti quo quemque proficiſci placeret; delegiſti quos Romæ relinqueres, quos tecum educeres; deſcripſiſti Urbis partes ad incendia; confirmaſti, te ipſum jam eſſe exiturum*; & cetera, quibus tamquam argumentis atque indiciis Catilinæ conjurationem patefacit.

Quæ

Quæ Repugnantia?

R. *Repugnantia* neque certa lege, neque numero inter ſe diſſident: qua ratione a contrariis diſcernuntur. Exempli gr. *amare*, & *odiſſe* contraria ſunt: *amare* vero, & *nocere*, & *lædere* repugnantia. Argumentum a *repugnantibus* ita ducitur: Amabat illum; igitur non interfecit.

Quæ cauſſæ?

R. *Cauſſa* eſt, quæ ſua vi efficit id, cujus eſt cauſſa: ut vulnus eſt cauſſa mortis, cruditas morbi, ignis ardoris. Ejus quatuor ſunt genera, *Finis*, *Efficiens*, *Forma*, *Materia*. *Finis* eſt cujus gratia fit aliquid; ut domus finis eſt uſus, belli pax, hominis beata vita. Ab eo ducitur argumentum hoc modo: Homo natus eſt ad intelligendum, & agendum; non igitur ad paſtum & voluptatem abjici debet. *Efficiens* cauſſa eſt, a qua aliquid eſt. Ab ea eſt illud Ciceronis contra ſenectutis vituperatores de Seneſt. cap. 13. *Caret epulis, ajunt, extructiſque menſis, & fre-*

quen-

quentibus poculis; *caret ergo vinolentia*, *cruditate*, *&* *inſomniis*. *Forma* eſt ratio rei, & nota, per quam res eſt id, quod eſt, & a rebus aliis diſtinguitur; ut animus eſt hominis forma: hic enim cauſſa eſt, cur homo ſit, eumque a rebus aliis diſtinguit. Sic domus, ſic navis, ſic ignis, ſic terræ, ceterarumque rerum ſua forma eſt vel artificioſa, vel naturalis. Ab ea ducitur argumentum hoc modo: Animi hominum immortales ſunt; homines igitur ad æternitatem, immortalitatemque beatæ vitæ adſpirare debent. *Materia* eſt, ex qua, & in qua res ſunt, ut ſtatuæ æs, argentum pateræ, corpus hominis. Ex *materia* ſic ſumitur argumentum: Corpus hominis mortale eſt; ab ejus igitur ſocietate, & contagione immortalis animus revocandus eſt.

Quæ Effecta?

R. *Effecta* ſunt ea, quæ ſunt orta de cauſſis. Eorum, ut cauſſarum, quatuor ſunt genera: eſt enim ſuus effectus *finis* & *efficientis*, itemque *formæ* ac *materiæ*. Quæ autem ſint ſingularum cauſſarum effecta, cogni-

tis

tis cauſſis, intelligitur: ut enim quod effectum eſt, quæ fuerit cauſſa demonſtrat; ſic cauſſa effectum indicat. Nam, ſi finis belli pax eſt, bellum ejus pacis, quæ bello quæritur, effectus eſt: eodemque modo dies ſolis effectus eſt, & homo corporis atque animi; quorum illud materia ejus eſt, hic forma. Ab *effectis* ſumitur hoc modo argumentum: Ex virtute laus, at ex voluptate naſcitur infamia: ſequenda eſt igitur virtus, & voluptas fugienda.

Quotuplex eſt locus a Comparatione?

R. Locus a *Comparatione* ſimplex quidem eſt, ſed tripliciter tractatur: a comparatione majorum, vel minorum, vel parium. A comparatione majorum ducitur argumentum, cum contendimus, ut id, quod in re majori valet, valeat in minori. Virgilius l. 1. Æn. v. 203.

O paſſi graviora, dabit Deus his quoque finem.

A minoribus ad majora ducitur argumentum, ut id, quod in minori re valet, valeat in majori. Hora-

Horatius l. 1. epiſt. 2. v. 32.

Ut jugulent homines, ſurgunt de nocte latrones:

Ut te ipſum serves, non expergiſceris?

Parium autem comparatio nec elationem habet, nec ſubmiſſionem; eſt enim æqualis. Multa autem ſunt quæ æqualitate ipſa comparantur, quæ ita fere concluduntur: Si conſilio juvare cives, & auxilio, æqua in laude ponendum eſt; pari gloria debent eſſe ii, qui conſulunt, & ii qui defendunt.

CAPUT IV.

Explica mihi nunc Argumenta aſſumta.

R. Argumenta *aſſumpta* non eo dicuntur ſine arte, quod ita ſint; ſed quod ea non parit oratoris ars, ſed foris ad ſe delata tamen arte tractat. Ea Cicero in Topicis teſtimonii nomine complectitur; teſtimonium enim in eo loco dicit id omne, quod ab aliqua re externa ſumitur ad faciendam fidem. Sed ad intelligendum erit facilius, ſi cum

Quin-

Quinctiliano in *præjudicium*, *rumorem*, *famam*, *tormenta*, *tabulas*, *jusjurandum*, & *teſtes* ea dividamus.

Quid eſt præjudicium?

R. *Præjudicium* eſt judicium ante judicium; ideſt res, ut Aſconius ſcribit, quæ ſtatuta cum fuerit, affert judicaturis exemplum, quod ſequantur. Hujuſmodi ſunt duo illa, quæ Cicero refert & reſolvit in Miloniana; primum, quod Senatus decreviſſet, cædem Clodii contra remp. eſſe factam; ſecundum, quod Pompejus rogatione ſua de re & cauſſa judicaſſet. Hinc enim effici volebant Milonis accuſatores, Senatum & Pompejum præiſſe judicibus, quid judicarent. A præjudiciis argumentantes dicemus, revera præjudicia facta fuiſſe, & ab iis facta, quorum auctoritatem vereri judices debeant. Contra vero, facta negabimus, aut ab iis facta fuiſſe dicemus, quorum ratio nulla haberi debeat.

Quid ſunt teſtes?

R. *Teſtium* duo ſunt genera; alterum divinum, ut oracula, & ſacræ litteræ. Alterum humanum, ut hiſtoriæ, ſententiæ, leges, ſed in primis eorum voces, qui legitime interrogati teſtimonium dicunt. Pro teſtibus & contra teſtes ſæpe accidit ut dicatur. Sumuntur autem argumenta a vitæ cujuſque morumque ratione, a conſtantia vel inconſtantia, a fide vel cupiditate, denique ab iis locis omnibus, qui vel conciliant, vel minuunt auctoritatem.

Quid tormenta?

R. *Tormentum* in judiciis proprio nomine quæſtio dicitur. Eſt autem quæſtio nihil aliud, quam cruciatus, quo reus ad confeſſionem ſceleris adigitur. A quæſtionibus dicemus, Majores noſtros non ſine cauſſa veri inveniendi gratia tormentis uti voluiſſe; & ſane tortos homines vera dicere: quod exemplis confirmabimus. Contra vero nihil in quæſtionibus eſſe certi; quod quidam pervica-

vicaces & duri tormenta ferant, ne vera fateantur; alii animo & corpore infirmi falſa dicant, ut a cruciatu liberentur: utemurque contrariis exemplis, quæ ſunt apud Valerium Maximum lib. 8.

Quid tabulæ?

R. *Tabulæ* ſunt teſtimonia ex ſcripto prolata, ut conventiones, ſtipulationes, pacta. Pro tabulis dici poterit, eas privatæ legis vim habere; quæ contrahuntur inter homines, pleraque pactis contineri; ſi hæc evertantur, everti humanam ſocietatem. Contra tabulas, non quid factum ſit, ſed quid juſtum ſit, ſpectari oportere; juſtum mutari non poſſe, neque metu, aut vi extorqueri, ut ſæpe tabulæ, eas adverſari aliis tabulis, adverſari legibus.

Quid rumor & fama?

R. *Rumor* eſt ſermo diſperſus ſine certo auctore; & eſt famæ ſimilis, niſi quod fama certo auctore nititur. A rumore & fama dicemus;

id

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

id temere non naſci, neque cauſſam fuiſſe cur fingeretur. Contra vero, plerumque rumores fallaces eſſe, interdum etiam data opera diſſeminari.

Quid jusjurandum?

R. *Jusjurandum* eſt affirmatio religioſa. Pro jurejurando, & contra ea fere dici poterunt, quæ pro teſtibus & contra teſtes dicuntur.

CAPUT V.

Si de facto quæratur, quibus locis utendum eſt accuſatori?

R. Accuſatori cognoſcenda eſt primum cauſſa, quæ reum impulerit ad maleficium, commodorum ſpe, aut incommodorum evitatione: ut cum quæritur, num acquiſierit maleficio honorem, pecuniam, dominationem; num cupiditatem aliquam explere voluerit; num ſaltem vitarit infamiam, inimicitias, dolores, ſupplicia. Spectanda deinde ætas, habitus, educatio, & præſertim vita anteacta; tum facultas, locus, tempus, ſpatium, occaſio, ſpes perficiendi, ſpes celandi, opes, pe-

cunia,

cunia, vires. In facto ipſo videat oportet antecedentia, conjuncta, conſequentia; augeat porro criminis atrocitatem ratione animi depravati, ratione noxæ illatæ, ratione violati juris.

Quibus locis utendum eſt defenſori?

R. Defenſor negabit fuiſſe maleficii patrandi cauſſam, ſi poterit: ſi non poterit, eam vehementer extenuabit; dicetque iniquum eſſe, illos ſtatim, ad quos ſuſpicio aliqua emolumenti pervenerit, in ſuſpicionem criminis devenire. Demonſtrabit, clientem ſuum vita eſſe integra & innocua: ſi non poterit, confugiet ad vim, ad perſuaſionem, ad infirmitatem adoleſcentiæ; demum dicet, non de vita, ſed de facto quæri oportere. Utetur etiam locis communibus ad excitandam miſericordiam; adducet accuſatorem in invidiam; queretur que vitam innocentium criminationibus eſſe objectam.

Si factum ſit in confeſſo, quibus locis utendum?

R. In ſtatu qualitatis, quando reus jure factum defendit, oſtendet accuſator, illud naturæ, aut legi, aut conſuetudini, aut rebus judicatis contrarium eſſe; quibus e contrario convenire oſtendet defenſor. Si reus cogitur concedere non jure factum, transferet in alios aut crimen ipſum, aut criminis cauſſam. Si transferre non poterit, utetur purgatione dicens, ſe neceſſitate coactum feciſſe, aut fortuito, aut imprudentia lapſum. Uti etiam poterit deprecatione, ſi plura ejus beneficia, quam maleficia conſtare videantur; ſi virtute, aut nobilitate præditus ſit; ſi ſpes ſit, eum uſui fore reipub. ſi manſuetus & mitis in alios appareat; ſi ea, quæ peccavit, non odio, aut crudelitate feciſſe conſtet. Accuſator contra dicet, feciſſe conſulto; neceſſitatem, aut vim removere potuiſſe; jure in alios crimen transferri non poſſe; plura ejus eſſe maleficia, quam beneficia; atque hæc, quanta demum

cun-

cunque ſint, in judiciis nihil valere: violatas leges, periculum civitatis, pravum exemplum exaggerabit.

CAPUT VI.

Quid eſt Amplificatio, & unde conficitur?

R. MAxima vis exiſtit oratoris in hominum mentibus permovendis, quod amplificatione fit. Eſt enim amplificatio gravior quædam argumentatio, quæ motu animorum conciliat in dicendo fidem. Ea & verborum genere conficitur, & rerum. Quæ verba ad amplificandum ſint idonea, apparebit ex lib. 3. de elocutione. Rerum amplificatio ſumitur ex iiſdem locis, ex quibus illa, quæ dicta ſunt ad fidem faciendam pertinere. Maxime autem definitiones valent conglobatæ; & conſequentium frequentatio; & contrariornm, & diſſimilium, & inter ſe pugnantium conflictus; & cauſſæ, & ea quæ ſunt orta de cauſſis; in primiſque ſimilitudines & exempla.

Cedo exemplum amplificationis a definitionibus conglobatis.

R. A definitionibus conglobatis eſt illa Ciceronis amplificatio 2. de Orat, c. 9. *Hiſtoria teſtis temporum, lux veritatis, vita memoriæ, magiſtra vitæ, nuncia vetuſtatis, qua voce alia, niſi oratoris, immortalitati commendatur?*

Cedo exemplum amplificationis a conſequentium frequentatione.

R. A Conſequentium frequentatione eſt illa in Verrem amplificatio Verr. 5. cap. 65. *Conſtitue nihil opis eſſe in hac voce, Civis Romanus ſum, jam omnes provincias, jam omnia regna, jam omnes liberas civitates, jam omnem orbem terrarum, qui ſemper noſtris hominibus maxime patuit, civibus Romanis iſta defenſione præcluſeris.*

Cedo exemplum amplificationis a contrariarum rerum conflictu.

R. A rerum contrariarum conflictu

ſiſtu eſt illa amplificatio Ciceronis in Catilinar. 2. c. 5. *Hoc vero quis ferre poſſit, inertes homines fortiſſimis inſidiari, ſtultiſſimos prudentiſſimis, ebrioſos ſobriis, dormientes vigilantibus?*

Cedo exemplum amplificationis a repugnantium rerum conflictu.

R. A repugnantium collatione ſumta eſt elegans amplificatio Ciceronis pro Roſc. Com. cap. 6. *Qua in re mihi ridicule es viſus eſſe inconſtans, qui eundem & læderes, & laudares; & virum optimum, & hominem improbiſſimum eſſe diceres: eundem tu & honoris cauſſa appellabas, & virum primarium eſſe dicebas, & ſocium fraudaſſe arguebas.*

Cedo exemplum amplificationis a cauſſis conglobatis, & his quæ ſunt orta de cauſſis.

R. Cauſſæ etiam, & ea quæ ſunt de cauſſis orta, multum valent ad amplificandum, ſi conglobentur. Cicero multas, & varias cauſſas, propter quas multi eſſent ab eo alienio-

res, junxit hoc modo in Orat. pro Sext. cap. 20. *Cum alii me ſuſpicione periculi ſui non defenderent, alii vetere odio bonorum incitarentur, alii inviderent, alii obſtare ſibi me arbitrarentur, alii ulciſci dolorem ſuum aliquem vellent, alii rem ipſam publicam, atque hunc bonorum ſtatum, otiumque odiſſent, & ob haſce cauſſas tot tamque varias me unum depoſcerent.* Orta vero de cauſſis ad amplificandum adhibuit contra M. Antonium Philipp. 2. cap. 22. *Doletis tres exercitus P. R. interfectos? interfecit Antonius. Deſideratis clariſſimos cives? Eos quoque vobis eripuit Antonius. Auctoritas hujus ordinis afflicta eſt? afflixit Antonius. Omnia denique, quæ poſtea vidimus mala, (quid autem mali non vidimus?) ſi recte ratiocinabimur, uni accepta referemus Antonio.*

Cedo exemplum amplificationis a ſimilitudine atque exemplo.

R. Cicero Verris avaritiam, quæ multorum bona devoraverat, exemplis exaggeravit his verbis lib. 5. cap. 56. *Non enim Charybdim tam inſe-*

inſeſtam, neque Scyllam nautis, quam illum in eodem freto fuiſſe arbitror. Ab exemplis vero eſt illa Ciceronis amplificatio pro Milone cap. 30. *Quamobrem uteretur eadem confeſſione Titus Annius, qua Hala, qua Naſica, qua Opimius, qua Marius, qua noſmetipſi.*

Cedo exemplum amplificationis a mutis perſonis.

R. Illa etiam oratio ad permovendos animos magnam vim habet, cum mutis perſonis ſermonem damus, ut Cicero fecit contra Catilinam Orat. 1. cap. 11. *Etenim ſi mecum patria. quæ mihi vita mea multo eſt carior, ſi cuncta Italia, ſi omnis Reſpub. ſic loqueretur: M. Tulli, quid agis?* & ea quæ ſequuntur.

Quid in amplificatione ſervandum?

R. Nihil in amplificatione nimis enucleandum eſt. Minuta eſt enim omnis diligentia: hic autem locus grandia requirit. Illud eſt judicii, quo quaque in cauſſa genere utamur augendi. In illis enim cauſ-

cauſſis, quæ ad delectationem exornantur, ii loci tractandi ſunt, qui movere poſſunt expectationem, admirationem, voluptatem. In cohortationibus autem bonorum ac malorum enumerationes, & exempla valent plurimum. In judiciis accuſatori fere quæ ad iracundiam, reo plerumque quæ ad miſerationem pertinent: nonnunquam tamen accuſator miſericordiam movere poteſt, & defenſor iracundiam.

CAPUT VII.

De inventionis præceptis ad ſingula cauſſarum genera accomodandis, & primum quidem de Exornatione.

R. HActenus allata inventionis præcepta ad omne orationis genus manant. Nunc propria, quæ ſunt ſingularum cauſſarum afferamus; & primum quidem *Exornationis*, qua omnis continetur laus & vituperatio. Pertinet hæc ad animi motus leniter tractandos, magis quam ad fidem faciendam. Proprium enim eſt laudatoris amplificare & ornare. Qua-

Quamobrem inter omnia cauſſarum genera *Exornatio* maxime eloquentiæ vim capere videtur.

Ex tempore præterito quomodo laus ducitur?

R. Laus hominum, cujus cognita præcepta facile ad res alias transferentur, dividitur in Tempora, quod ante eos fuit, quoque ipſi vixerunt: in his autem qui vita functi ſunt, etiam quod inſecutum. Ante hominem patria, ac parentes, majoreſque erunt, quorum duplex tractatus eſt: aut enim reſpondiſſe nobilitati pulchrum erit, aut humilius genus nobilitaſſe factis. Illa quoque interim ex eo, quod ante ipſum fuit, tempore trahentur, quæ reſponſis, vel oraculis, vel ſignis futuram claritatem promiſerint: ut in Divo Joanne Baptiſta, multiſque aliis viris ſanctiſſimis.

Ex tempore, quo quis vixit, quomodo ducitur laus?

R. Ipſius laus hominis ex animo, & corpore, & extra poſitis

peti debet. In corpore ſunt forma, vires, valetudo, & his ſimilia. Qui hæc habuerit, laudabitur, quod bene illis ſit uſus: ſi non habuerit, quod ſapienter caruerit: ſi amiſerit, quod moderate tulerit. Externa ſunt educatio, opes, propinqui, amici, potentia, gratia, ceteraque hujuſmodi. Hic laus eſt, non extuliſſe ſe in poteſtate, non fuiſſe inſolentem in pecunia, non ſe prætuliſſe aliis propter abundantiam fortunæ; ut opes & copiæ non ſuperbiæ videantur, ac libidini, ſed bonitati, ac moderationi facultatem ac materiam dediſſe. Sed horum omnium levior laus eſt: at bonorum animi longe maxima. Porro cum bona animi virtute contineantur, pauca quædam de illa dicamus.

Quid & quotuplex eſt virtus?

R. Virtutis formæ quatuor ſunt, *Prudentia*, *Juſtitia*, *Temperantia*, *Fortitudo*. *Prudentia* eſt rerum bonarum & malarum firma & explicata cognitio. *Juſtitia* eſt conſtans animi affectio tribuens cuique ſuum. *Temperantia* eſt rationis in libidinem atque

atque alios non rectos naturæ impetus moderata dominatio. *Fortitudo* eſt conſiderata periculorum ſuſceptio, & laborum perpeſſio. Et quoniam ſingularum virtutum ſunt certa quædam officia, & ſua cuique virtuti laus propria debetur, erit Oratori explicandum ver. gr. in laude juſtitiæ, quid cum fide, quid cum æquitate is, qui laudatur, fecerit: eademque ratione in ceteris ejus res geſtæ ad cujuſque virtutis genus & vim accomodabuntur. Sed illud in primis animadvertendum eſt, ſumi debere in laudando res aut magnitudine præſtabiles, aut novitate primas, aut genere ipſo ſingulares.

Ex tempore, quod finem hominis inſequitur, quomodo laus ducitur?

R. Nec mors eorum, quorum vita laudabitur, ſilentio præteriri debebit; ſi modo quid erit animadvertendum aut in ipſo genere mortis, aut in iis rebus, quæ mortem erunt conſecutæ. In tempore autem, quod finem hominis inſequitur, inſunt habiti poſt mortem honores,

 decre-

decreta virtutis præmia, res geſtæ judiciis hominum comprobatæ. Afferunt etiam laudem liberi parentibus, urbes conditoribus, leges latoribus, artes inventoribus, nec non inſtituta quoque auctoribus. Hinc eſt illud Ciceronis de Ser. Sulpitio Phil. 9. c. 5. *Quanquam nullum monumentum clarius Ser. Sulpitius relinquere potuerit, quam effigiem morum ſuorum, virtutis, conſtantiæ, pietatis, ingenii filium, cujus luctus aut hoc honore veſtro, aut nullo ſolatio levari poteſt.*

CAPUT VIII.

Quid præcipis de genere deliberativo?

R. QUæ tradita ſunt exornationis præcepta, multum ad ſententiam dicendam valent; quia plerumque eadem illic laudari, hic ſuaderi ſolent. In deliberando finis eſt dignitas & utilitas; ad quem omnia referuntur in conſilio dando, ſententiaque dicenda. Sunt autem & in ſuadendo, & in diſſuadendo tria maxime ſpeſtanda: quid ſit, de

quo

quo deliberetur: qui ſint, qui deliberent: quis ſit qui ſuadeat.

In re, de qua deliberatur, quid obſervandum?

R. Rem, quam diſſuademus, aut certum eſt poſſe fieri, aut incertum. Si incertum, prius dicemus, ne ſi poſſit quidem fieri, eſſe faciendam; deinde fieri non poſſe. Cicero Phil. 7. c. 3. *Pacem cum M. Antonio eſſe nolo, quia turpis eſt, quia periculoſa, quia eſſe non poteſt.* Quod ſi fieri poſſe conſtat, probabimus, faciendam eſſe aut alio tempore, aut alio modo. Partes ſuadendi in univerſum ſunt tres, prima eſt, ut doceamus, effici poſſe id, quod ſuademus: deinde honeſtum eſſe: poſtremo vero eſſe utile. In primis itaque videndum eſt, an effici poſſit id, quod ſuademus: nam ſi quid effici non poſſit, deliberatio tollitur, quamvis & honeſtum, & utile ſit. Videndum etiam eſt, quam facile poſſit: nam quæ perdifficilia ſunt, perinde habenda ſunt, ac ſi effici non poſſint. Et, cum de neceſſitate dicemus, ſi quid non neceſ-

ſarium videbitur, videndum erit, quam ſit magnum, quod enim permagni intereſt, pro neceſſario ſæpe habetur. Eſt apud T. Livium lib. 23. c. 22. præclara P. Scipionis oratio, in qua & poſſe Annibalem in Africa vinci demonſtrat; & ad dignitatem populi Romani, famamque apud reges genteſque externas pertinere, non ad defendendam modo Italiam, ſed ad inferenda etiam Africæ arma; videri Romanis animum eſſe: & in primis eſſe utile, requieſcere aliquando diu vexatam Italiam; uri, popularique invicem Africam.

Quid circa eos, qui deliberant?

R. Diverſi ſunt deliberantium animi; &, ſive conſultent plures, ſive ſinguli, in utriſque differentia eſt; quia & in pluribus multum intereſt, Senatus ſit, an Populus; Romani, an Galli: & in ſingulis, Cato, an Cicero; Cæſar, an Pompejus deliberent. Proinde intuenda ſexus, dignitas, ætas; ſed mores præcipue diſcrimen dabunt. Duo enim ſunt hominum genera; alterum indoctum, & agreſte, quod antefert ſemper

utili-

utilitatem honeſtati; alterum expolitum, quod rebus omnibus dignitatem anteponit.

Quid præcipis de prima parte ſuadendi, ſeu de honeſtate?

R. Honeſta apud honeſtos ſuadere facillimum eſt: ſi vero apud turpes recta obtinere conabimur, ne videamur exprobrare diverſam vitæ ſectam, cavendum eſt. Et animus deliberantis non ſola virtutis commendatione permovendus, ſed laude, vulgi opinione, & ſecutura utilitate; interdum vero magis objiciendo aliquem metum, ſi diverſa fecerint, quam ſpem bonorum. Cicero pro Lege Manil. c. 2. *Genus eſt ejuſmodi, quod veſtros animos excitare, atque inflammare debet, in quo agitur populi Romani gloria, quæ vobis a majoribus cum magna in omnibus rebus, tum ſumma in re militari tradita eſt: agitur ſalus ſociorum, atque amicorum; pro qua multa majores veſtri magna, & gravia bella geſſerunt: aguntur certiſſima populi Romani vectigalia, & maxima; quibus amiſſis, & pacis ornamenta, & ſubſidia belli requiretis*

ritis. Sola virtutis commendatione incendit militum animos Cato apud Lucanum ad aggrediendum iter difficillimum, & periculoſiſſimum, l. 9. 379.

O quibus una ſalus placuit,
mea caſtra ſecutis,
Indomita cervice mori, componite
mentes
Ad magnum virtutis opus, ſummoſque labores.

Sæpe etiam controverſia eſt, ex duobus utrum ſit honeſtius. Affirmant autem viri ſapientiſſimi, omne officium, quod ad conjunctionem hominum, & ad tuendam ſocietatem valet, anteponendum eſſe illi officio, quod cognitione & ſcientia continetur. In ipſa autem communitate ſunt gradus, ex quibus, quid cuique præſtet, intelligi poteſt; ut prima Deo Opt. Maximo, ſecunda patriæ, tertia parentibus, deinceps gradatim reliqua reliquis debeantur.

Quid de altera, ſeu de utilitate?

R. An ſit autem facile, magnum, jucundum, ſine periculo, ad quæſtionem pertinet utilitatis. Suaſor itaque, vel omnia hæc, vel eorum ple-

pleraque ineſſe in eo, quod ſuadet, oſtendet. Ilioneus his verbis alloquitur Latinum regem apud Virg. lib. 7. Æn. v. 229.

Dis ſedem exiguam patriis, littuſque rogamus
Innocuum, & cunctis undamque, auramque patentem.
Non erimus regno indecores, nec veſtra feretur
Fama levis, tantique aboleſcet gratia facti.

Qui verò diſſuadet, ille difficile, parvum, injucundum, periculoſum monſtrabit. Hoc modo Fabius Maximus apud T. Livium lib. 28. c. 21. ne P. Scipio in Africam trajiciat, contendit. *Nam nunc quidem, præterquam quod & in Italia, & in Africa duos diverſos exercitus alere ærarium non poteſt; præterquam quod, unde claſſes tueamur, unde commeatibus præbendis ſufficiamus, nihil reliqui eſt; periculi tandem quantum adeatur, quem fallit?* Deinde graviter, & ſapienter difficultates multas, & pericula commemorat, quæ futura ſint, niſi Conſul uterque in Italia retineatur. Eodem etiam modo propoſitis duobus

bus utilibus, utrum ſit utilius, controverſia eſt. Cum autem ſpecies utilitatis cum honeſtate certat, qui utilitatem defendet, enumerabit commoda pacis, opum, potentiæ, vectigalium, præſidii, militum, utilitateſque ceterarum rerum, quarum fructum utilitate metimur; itemque incomoda contrariorum. Ex his locis Catilina apud Salluſtium ad nefarium facinus, quod ille maximum, atque pulcherrimum vocat, conjuratos hortatur: *Vobis*, inquit, *eſt domi inopia, foris æs alienum, mala res, ſpes multo aſperior, denique quid reliqui habemus præter miſeram animam? Quin igitur expergiſcimini? En illa, quam ſæpe optaſtis, libertas; præterea divitiæ, decus, gloria in oculis ſita ſunt.* Qui ad dignitatem impellet, majorum exempla colliget, poſteritatique immortalem ex ea laudem naſci defendet, ſemperque eam cum dignitate eſſe conjunctam.

Quid de eo, qui ſuadet?

R. Multum etiam refert, quæ ſit perſona dicentis: ſuadere enim aliquid, aut diſſuadere graviſſimæ eſt per-

perſonæ. Nam & ſapientis eſt, conſilium explicare ſuum de maximis rebus; & honeſti, ac diſerti mente providere, auctoritate probare, oratione perſuadere. Illud videndum eſt, ne quæ dicuntur, ab eo, qui dicit, diſſentiant. Hoc egregie ſervavit Virgilius in Latino Rege, quem ſic dicentem introducit lib. 12. Æn. v. 18.

Olli ſedato reſpondit corde Latinus:
O præſtans animi juvenis, quantum ipſe feroci
Virtute exſuperas, tanto me impenſius æquum eſt
Conſulere, atque omnes metuentem expendere partes.

Præter hæc ſuntne alia in Deliberatione obſervanda?

R. Ad conſilium de repuldandum, caput eſt noſſe rempublicam; ad dicendum vero probabiliter, noſſe mores civitatis; qui quia crebro mutantur, genus quoque orationis eſt ſæpe mutandum. In Senatu minori apparatu dicendum eſt; tum quia aliis quoque dicendi relinquendus eſt locus; tum quia ſapiens eſt con-

conſilium; ideoque vitanda apud illud ingenii oſtentationiſque ſuſpicio. Concio capit omnem vim orationis. Univerſe ad ſuadendum vis exemplorum eſt maxima, aut recentium, quæ notiora ſunt; aut veterum, quæ plus auctoritatis habent. Neque enim fieri poſſe videtur, ut non ſimilia ſint, quæ ſimili ratione fiunt.

CAPUT IX.

Qui & qnot sunt affectus?

R. TOt ſunt affectus, quot ſunt in nobis commotiones ex opinione boni, vel mali ortæ. Principes & fontes ceterorum videntur eſſe quatuor, *lætitia*, *moleſtia*, *ſpes*, *metus*. *Lætitia* eſt opinio præſentis boni; *moleſtia* opinio præſentis mali; *ſpes* opinio futuri boni, quod facile parari poſſit; *metus* opinio futuri mali, quod imminere videatur. Horum generum plures ſunt formæ & quaſi partes, *amor*, *odium*, *iracuncia*, *lenitas*, *invidia*, *miſericordia*. Velle & efficere bonum alicui ipſius cauſſa, non noſtra, *amor* eſt; *odium* contra. *Ira* eſt cupiditas vindictæ

cum

cum dolore conjuncta ob acceptam injuriam; *lenitas* ſedatio iræ. *Invidia* eſt dolor ex alterius bonis, iccirco quod ille poſſideat; *miſericordia* contra dolor ex alterius malis, quibus indignus appareat. Addit alios Ariſtoteles longe plurimos, ſed minores, atque ex his ortos,

Quomodo concitantur?

R. *Amor* conciliatur, ſi id videaris defendere, quod ſit utile ipſis, apud quos agas; aut ſi pro bonis viris labores, vel certe pro iis, qui boni atque utiles appareant in re præſenti; aut ſi in re, quam defendis, dignitatem vel utilitatem ineſſe oſtendas. Ex iiſdem locis *odium* conflare adverſario poterimus, & a nobis amovere: nec alia ſane genera tractanda ſunt ad *iram* vel ciendam, vel comprimendam. Par atque eadem ratio eſt *ſpei*, *lætitiæ*, *moleſtiæ*. *Invident* autem homines maxime paribus; interdum etiam inferioribus & ſuperioribus, ſi intolerantius ſe jactent. *Invidia* hæc (ſeu mavis dicere indignationem) ſi erit inflammanda, dicendum eſt, quæ poſſi-dent

dent, non eſſe virtute parta, deinde etiam vitiis atque peccatis: ſi ſedanda, magnis illa laboribus, & ad aliorum commodum, magis quam ad ſuum, fuiſſe collecta. *Miſericordia* movetur maxime is, qui audit, ſi quæ in aliis deplorantur, ad ſe reſque ſuas revocet. Sed cum omnes humanarum rerum caſus graviter accipiuntur, tum afflicta virtus in primis luctuoſa eſt: proindeque in hac verſari, ſi poſſis, ad miſericordiam utiliſſimum erit.

Quid præcipis de affectibus in genere toto?

R. Poſtquam Orator viderit, poſtuletne cauſſa affectus, & quos poſtulet, motus excitabit, aut excitatos extinguet. Sit autem hoc ſummum & generale præceptum, ut quos affectus movere velit, in ſe ipſe oſtendat impreſſos atque inuſtos. Neque enim poteſt iraſci judex, ſi qui dicit, leniter ferre videtur; neque odiſſe, niſi ipſe odio flagret; neque ad miſericordiam adduci, niſi ipſe prius doleat, aut dolorem apte ſimulet.

Quid

Quid ipſe de ſe Orator præſtare debet ad benevolentiam?

R. Debet Orator, ſi cupit animos eorum, apud quos agit, ita afficere, ut rapiat, quo velit, eos in primis ſibi conciliare & benevolos facere. Conciliantur autem animi dignitate hominis, rebus geſtis, exiſtimatione. Adjuvat etiam lenitas vocis, pudoris ſignificatio, verborum comitas. Facilitatis, manſuetedinis, pietatis, grati animi ſigna proferre perutile eſt tum Oratori, tum etiam reo. Et hoc vel in principiis, vel in narrando, vel in perorando tantam vim habet, ut ſæpe plus, quam cauſſa valeat.

Quæ requirit Ariſtoteles ad conciliandos animos?

R. Tria requirit; *prudentiam*, ut plus intelligere qui dicit, quam illi apud quos dicit, videatur; *probitatem*, ne verſutus appareat & vafer; *benevolentiam*, ut recte conſulere velle cenſeatur. Prætere oportet, ut noſcat mores hominum, qui mutantur

tur ratione habituum, ratione affectuum, ratione ætatis; ut iis ſe ſe & orationem ſuam prudenter accomodet.

CAPUT X.

Habesne aliquid de genere judiciali?

R. HIC agendum eſſet de æquo & iniquo; qui locus eſt proprius generis judicialis. Sed cum genus hoc ad ſcholarum noſtrarum inſtitutum vix pertineat, ſatis eſſe volumus quæ de illo in communium locorum tractatione dicta ſunt.

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

DE ARTE DICENDI

LIBER II.

CAPUT I.

Quid eſt Diſpoſitio?

R. DIſpoſitio eſt rerum inventarum in ordinem diſtributio. Hinc fit, ut utamur Exordio, Narratione, Confirmatione, Peroratione. Hæ ſunt enim quatuor orationis partes, per quas inventa diſtribuimus: quarum duæ valent ad rem docendam, narratio, & confirmatio; ad impellendos animos duæ, Exordium & Peroratio. De ſingulis dicendum eſt.

CA-

CAPUT II.

Quid eſt Exordium?

R. EXordium eſt oratio animum auditoris idonee comparans ad reliquam dictionem. Id fieri tribus maxime rebus inter auctores plurimos conſtat, ſi benevolum, ſi attentum, ſi docilem auditorem fecerimus; quorum primus locus, ideſt ut amice audiamur, eſt in perſonis noſtris, auditorum, adverſariorum, e quibus initia benevolentiæ comparantur, aut meritis noſtris, aut dignitate, aut aliquo genere virtutis, contrariiſque rebus in adverſarios conferendis, & cum auditoribus aliqua conjunctionis aut cauſſa, aut ſpe ſignificanda. Cicero pro C. Rabir. c. 1. *Me cum amicitiæ vetuſtas, tum dignitas hominis, tum ratio humanitatis, tum meæ vitæ perpetua conſuetudo ad C. Rabirium defendendum eſt adhortata: tum vero, ut id ſtudioſiſſime facerem, ſalus Reipubl. Conſulare officium, Conſulatus denique ipſe mihi una vobiſcum cum ſalute Reipubl. commendatus coegit*. Hæc autem accura-

curate in eo exordio & ornate, explicat, In Oratione vero pro P. Sylla ſic ait, cap. 1. *Quamquam ex hujus incommodis magnam animo moleſtiam capio : tamen in ceteris malis facile patior oblatum mihi tempus, in quo boni viri lenitatem meam, miſericordiamque notam omnibus quondam, nunc quaſi intermiſſam agnoſcerent; improbi, ac perditi cives, edomiti atque victi, præcipitante Rep. vehementem me fuiſſe, atque fortem, conſervata, mitem ac miſericordem faterentur*. Intelligenter autem ut audiamur & attente, a rebus ipſis ordiendum eſt. Sed facillime auditor diſcit, & quid agatur intelligit, ſi complectaris ab initio genus naturamque cauſſæ, ſi definias, ſi dividas, ſi neque prudentiam ejus impedias confuſione partium, nec memoriam multitudine. Sic exorditur Cicero pro A. Cluentio : *Animadverti, Judices, omnem accuſatoris orationem in duas diviſam eſſe partes*: quam diſtributionem ait certum ſibi eſſe in defenſione ſervare, ut omnes intelligant, ſe nihil nec ſubterfugere voluiſſe reticendo, nec obſcurare dicendo. Ut attente autem audiamur, trium re-

rum aliqua conſequemur : nam aut magna quædam proponemus, aut neceſſaria, aut conjuncta cum ipſis, apud quos res agetur. Luculenter hunc locum Cicero tractavit in exordio nobiliſſimæ orationis pro domo ſua cap. 1. *Quod ſi ullo tempore magna cauſſa in ſacerdotum populi Rom. judicio, ac poteſtate verſata eſt, hæc profecto tanta eſt, ut omnis Reip. dignitas, omnium civium ſalus, vita, libertas, aræ, foci, Dii Penates, bona, fortunæ, domicilia veſtræ ſapientiæ, fidei, poteſtatique commiſſa creditaque eſſe videantur.*

Quot ſunt Genera cauſſarum?

R. Genera porro cauſſarum plurimi quinque fecerunt, *Honeſtum*, *Humile*, *Dubium*, *Admirabile*, *Obſcurum*. Sunt, quibus recte videatur adjici *Turpe*, quod alii *Humili*, vel *Admirabili* ſubjiciunt. *Admirabile* autem vocant, quod eſt præter opinionem hominum conſtitutum. In *Dubio* maxime benevolum judicem, in *Obſcuro* docilem, in *Humili* attentum parare debemus. Nam *Honeſtum* quidem ad conciliationem ſatis

tis per ſe valet. *In Admirabili*, & *Turpi* remediis opus eſt: & eo quidam Exordium in duas dividunt partes, *Principium*, & *Inſinuationem*; ut *Principium* leniter procedat ad benevolentiam & attentionem parandam, *Inſinuatio* ſurrepat animis, maxime ubi frons cauſſæ non ſatis honeſta eſt, vel hominibus parum probatur. Quibus porro adverſus hæc remediis ſit utendum, conſilium ex cauſſis ſumetur. Illud in univerſum præceptum ſit, ut ab iis, quæ lædunt, ad ea, quæ proſunt, refugiamus. Si cauſſa laborabimus, perſona ſubveniet; ſi perſona, cauſſa. His etiam de cauſſis *Inſinuatione* utendum eſt, ſi adverſarii oratio auditorum animos occupaverit, vel ſi dicendum apud fatigatos eſt: quorum alterum promittendo noſtras probationes, & adverſas contemnendo vitabimus: alterum & ſpe brevitatis, & iis, quibus attentum fieri auditorem docuimus. Urbanitas etiam opportuna reficit animos; & undecunque petita auditoris voluptas levat tædium.

Cujuſmodi exordia eſſe debent?

R. Exordia ſemper cum inſtructa ſententiis, & apta verbis, tum cauſſarum propria eſſe debent. Prima eſt enim quaſi cognitio & commendatio oratoris in exordio, quæ ſtatim eum, qui audit, permulcere atque allicere debet.

Quæ ſunt exordii vitia?

R. Hæc autem ſunt vitia certiſſima exordiorum, quæ ſummopere vitare oportebit, *Vulgare*, *Commune*, *Commutabile*, *Longum*, *Separatum*, *Translatum*, *Contra præcepta*. *Vulgare* eſt quod in plures cauſſas poteſt accomodari. *Commune* eſt, quod nihilominus in hanc, quam in contrariam partem cauſſæ poteſt convenire. *Commutabile* eſt, quod ab adverſario poteſt leviter mutatum ex contraria parte dici. *Longum* eſt, quod pluribus verbis, aut ſententiis, ultra quam ſatis eſt, producitur. *Separatum* eſt, quod non ex ipſa cauſſa ductum eſt, ſed ſicut aliquod membrum annexum orationi. *Translatum*

ſlatum eſt, quod aliud conficit, quam cauſſæ genus poſtulat; ut ſi quis docilem faciat auditorem, cum benevolentiam cauſſa deſideret: aut ſi Principio utatur, cum Inſinuationem res poſtulet. *Contra præcepta* eſt, quod nihil eorum efficit, quorum cauſſa præcepta de exordiis traduntur; hoc eſt, quod eum, qui audit, nec benevolum, nec attentum, nec docilem reddit.

Quæ de exordio Veteres in genere judiciali obſervabant?

R. Veteres oratores diligenter id curabant, ut in genere judiciali ex ipſis viſceribus cauſſæ ſumerent exordia. Judicem conciliabant, non tantum laudando eum, ſed laudem ejus ad utilitatem cauſſæ ſuæ conjungentes: allegando pro honeſtis dignitatem illi ſuam, pro humilibus juſtitiam, pro infelicibus miſericordiam, pro læſis ſeveritatem, & ſimiliter cetera. Metum nonnunquam amovebant; ut Cicero pro Milone, ne arma Pompeji contra ſe diſpoſita judices putarent, laboravit: nonnunquam adhibebant; ut idem in

Verrem facit. Dabant etiam operam, ne oſtentarent in principiis curam. Non ſempar autem exordio utebantur; ſed in honeſtis, in parvis etiam atque frequentibus cauſſis ab ipſa re, omiſſo exordio, incipiebant.

Quæ de exordio notanda in genere exornativo, & deliberativo?

R. Exordia in exornatione ſunt maxime libera, ut Ariſtoteles exiſtimat. Nam & longe a materia duci, & ex aliqua re vicina poſſunt. In deliberatione vero ſæpe nulla, vel brevia eſſe debent: non enim ſupplex, ut ad Judicem, venit orator; ſed hortator atque auctor. Quare, cum principio utetur, proponere, qua mente dicat, quid velit, quibus de rebus dicturus ſit, debet; hortarique ad ſe breviter dicentem audiendum.

CAPUT III.

Quid eſt Narratio, & quæ requirit?

R. NArratio eſt rerum explicatio, & quædam quaſi ſedes, ac fundamentum conſtituendæ fidei. Oportebit autem eam tres habere res, ut *brevis*, ut *perſpicua*, ut *probabilis* ſit; per quas efficitur, ut auditor intelligat, meminerit, credat. Erit autem *brevis* narratio, ſi conſtet ſimplicibus verbis, & ſemel unaquæque res dicatur: tum etiam, ſi reciderimus omnia, quibus ſublatis, neque cognitioni quidquam, neque utilitati detrahatur; non tamen inornata debet eſſe brevitas, alioquin ſit indocta. Erit autem *perſpicua*, ſi verbis uſitatis, ſi ordine temporum conſervato, ſi non interrupto, narrabitur. *Probabilis* demum erit, ſi perſonis, ſi temporibus, ſi locis ea, quæ narrabuntur, conſentient: ſi cujuſque facti, & eventi cauſſa ponetur: ſi teſtata dici videbuntur, ſi cum hominum opinione, auctoritate, ſi cum lege, cum

 more,

more, cum religione conjuncta: ſi probitas narrantis ſignificabitur, ſi orationis veritas, & vitæ fides. Ciceroni vehementer placet, ut jucunda, & ſuavis ſit narratio; eamque ſuavem eſſe narrationem ait, quæ habet admirationes, expectationes, exitus inopinatos, & quæ interpoſitos motus animorum, colloquia perſonarum, dolores, iracundias, metus, lætitias, cupiditates.

Quando Narratione utendum eſt?

R. In judiciis, ſi nota res ſit, narratio non adhibetur; nec ſi adverſarius narraverit, niſi contraria narratione ſit refellendus. In exornatione vero narratio non erit ulla, quæ neceſſario conſequatur exordium; ſed, ſi qua inciderit, cum aliquid ejus, de quo loquemur, nobis narrandum ſit cum laude, aut vituperatione; præceptio narrandi ex hoc loco petitur. Nec multum ſane in deliberatione narrandum eſt: eſt enim narratio præteritarum rerum, aut præſentium; ſuaſio autem futurarum.

CA-

CAPUT IV.

Quid tradunt Rhetores de Partitione?

R. Quandoquidem partitionem quoque memorant quidam, & peculiarem orationis partem eſſe volunt, ejus dicimus duo eſſe capita; unum, quod, quid cum adverſariis conveniat, & quid in controverſia relinquatur, oſtendit; quo quiddam certum deſignatur auditori, in quod aciem intendere debeat: alterum, in quo rerum omnium, de quibus erimus dicturi, expoſitio ponitur diſtributa. Debet eſſe brevis, ut verbum nullum habeat niſi neceſſarium; debet eſſe diligens, ut genera omnia, quæ incidunt in cauſſam, de quibus dicendum eſt, complectatur. Hæc tamen genera non debent dividi in alia genera, quæ nimis minuta ſint.

CAPUT V.

De Confirmatione quid præcipis?

R. SEquitur Confirmatio, quæ firnamenta continet, cauſſæ conjuncta, quibus noſtra confirmemus, & reprehendamus aliena. Nam, quia nec reprehendi, quæ contra dicuntur, poſſunt, niſi tua confirmes; neque hæc confirmari, niſi illa reprehendas; idcirco confirmatio, & reprehenſio & natura, & tractatione, & utilitate conjuncta ſunt.

Quinam eſt ordo argumentorum in confirmando?

R. Orator in confirmando diligenter ordinem, collocationemque argumentorum attendet; & curabit, ut firmiſſimum quodque ſit primum; dum ea, quæ excellant, ſerventur ad extremum; ſi qua erunt mediocria (nam vitioſis nuſquam eſſe oportet locum) in mediam turbam conjiciantur.

CA-

CAPUT VI.

Quid, & quotuplex eſt Argumentatio?

R. ARgumentatio eſt argumenti explicatio, & artificioſa expolitio. Ea conficitur, cum ex locis, de quibus ſuperiore libro dictum eſt, aut certa, aut probabilia ſumſeris. Pro certis autem habemus primum, quæ ſenſibus percipiuntur, ut quæ videmus, audimus; deinde ea, quæ communi hominum opinione atque ſententia ſunt comprobata; ut afficiendos eſſe honore parentes: præterea quæ legibus cauta ſunt; quæ perſuaſione, ſi non omnium hominum, ejus certe civitatis, aut gentis, in qua res agitur, in mores recepta ſunt: ſi quid inter utramque partem convenit: ſi quid probatum eſt: denique cuicunque adverſarius non contradicit. Probabilium autem genera ſunt tria: unum firmiſſimum, quod fere ſemper accidit, ut liberos à parentibus amari: alterum aliquanto minus firmum, ut eum, qui recte valeat, in craſti-

nuin perventurum: tertium tantum non repugnans, ut in domo furtum factum ab eo, qui domi fuit. Ad probandum vero id, quod eſt dubium, hoc modo id, quod probabile eſt, poteſt adhiberi. Sit dubium, an Catilina conjurarit: ſumatur illud, quod credibile eſt; nempe homines æris alieni magnitudine oppreſſos, eoſdemque egentes, & ſumtuoſos facile adduci, ut conjurent; jam id, quod dubium erat, efficitur probabile, Catilinam conjuraſſe. Argumentationis quatuor ſunt partes, *Ratiocinatio*, *Inductio*, *Exemplum*, & *Enthymema*.

Quid eſt Ratiocinatio?

R. *Ratiocinatio*, quam & *Syllogiſmum*, & *Epichirema* Græci vocant, conſtat propoſitione, cum qua ejus ratio jungitur; deinde aſſumptione, & ejus probatione; poſtremo complexione. Propoſitio eſt, per quam breviter locus is exponitur, ex quo omnis vis oportet emanet ratiocinationis. Propoſitionis vero approbatio eſt, per quam breviter id, quod expoſitum eſt, rationibus firma-

firmatum, probabilius & apertius fit. Aſſumptio, per quam id, quod ex propoſitione ad oſtendendum pertinet, aſſumitur. Aſſumptionis approbatio, per quam id, quod breviter ſumtum eſt, rationibus firmatur. Complexio, per quam id, quod conficitur ex omni argumentatione, breviter exponitur. Ex. gr. ſit propoſitio: Melius gubernantur ea, quæ conſilio geruntur, quam quæ ſine conſilio adminiſtrantur. Deinde ſubjiciatur ratio: Exercitus enim is, cui præpoſitus eſt ſapiens imperator, omnibus partibus commodius regitur, quam is, qui ſtultitia & temeritate alicujus adminiſtratur. Aſſumptio deinde ponatur: Nihil autem omnium rerum melius, quam mundus, adminiſtratur. Aſſumptioni probatio adjungatur: Nam & ſignorum obitus, & ortus definitum quendam ordinem ſervant; & annuæ commutationes non modo ſemper eodem modo fiunt, verum ad utilitates quoque rerum omnium ſunt accomodatæ. Tertio loco inducenda eſt Complexio, quæ id infert, quod ex ſuperioribus partibus cogitur, hoc modo: Conſilio igitur mundus adminiſtratur,

Quot

Quot ſunt partes Ratiocinationis?

R. Ex ſupradictis manifeſtum eſt, nihil referre, ſive tripartitam, ſive quinquepartitam putes eſſe hanc argumentationem: commodior tamen illa partitio videtur eſſe, quæ in tres partes diſtributa eſt; quod fit, ſi propoſitionem, & ejus rationem, unam partem exiſtimemus; alteram vero aſſumptionem, & ejus exornationem: at, ſi ſeparas propoſitionem a ratione, & aſſumptionem ab exornatione, in quinque partes diſtributa erit. Cum propoſitio ex ſe intelligitur, ſine ratione aſſumenda eſt: aſſumptio etiam, cum perſpicua eſt, nullius approbationis indiget. Quod ſi & propoſitio, & aſſumptio perſpicuæ ſint, utraque approbatione præterita, ratiocinationem conficiemus hoc modo. Summopere virtus expetenda eſt: at prudentiam eſſe virtutem eſt in confeſſo; ſummopere igitur prudentia expetenda eſt.

Quid

Quid eſt Inductio?

R. Inductio eſt argumentatio, quæ ex pluribus collationibus pervenit, quo vult. Virg. Æn. 6. v. 119.

Si potuit manes arceſſere conjugis Orpheus,
Threicia fretus cithara, fidibuſque canoris:
Si fratrem Pollux alterna morte redemit,
Itque, reditque viam toties. Quid Theſea? magnum
Quid memorem Alciden? Et mi genus ab Jove ſummo.

Hoc in genere duo ſunt diligenter cavenda: primum, ut illud, quod inducemus pro ſimilitudine, ejuſmodi ſit, ut ſit neceſſe concedi: deinde, ut illud, cujus confirmandi cauſſa fiet inductio, ſimile iis rebus ſit, quas res iuduxerimus.

Quid eſt Exemplum?

R. *Exemplum* eſt inductio imperfecta, vel, quod idem eſt, inductio rhetorica. Cicero pro Milon. cap. 3, *Negant intueri lucem eſſe fas ei, qui*

ei, qui ab ſe hominem eſſe occiſum fateatur. In qua tandem urbe hoc homines ſtultiſſimi diſputant? nempe in ea, quæ primum judicium de capite vidit M. Horatii fortiſſimi viri, qui nondum libera civitate, tamen populi Rom. comitiis liberatus eſt, cum ſua manu ſororem eſſe interfectam fateretur.

Quid eſt Enthymema?

R. *Enthymema* vocamus breviter comprehenſam ratiocinationem, cujus omnes partes in unam conferuntur hoc modo: *Sine cauſſa dominum ſervus accuſet?* Erit autem abſoluta ratiocinatio, ſi hoc modo evolveris: *Sine cauſſa non debet dominum ſervus accuſare: hic medicus eſt ſervus Dejotari: non igitur debet ſine cauſſa dominum accuſare.* Appellatur etiam Enthymema ratiocinatio quælibet ex veriſimilibus, aut ſignis.

Sorites cujuſmodi argumentatio eſt?

R. *Sorites* multas argumentationes acervatim convolvit, atque complectitur: unde nomen etiam invenit;

enit; Cicero Latino verbo *acervalem* appellat. Apertiſſime concludit Sorites ille, qui eſt in quinta Tuſculana cap. 15. Propoſitum erat oſtendere, quod eſſet honeſtum, id ſolum eſſe bonum; id autem ſic demonſtrat: *Etenim quidquid eſt quod bonum ſit, id expetendum eſt: quod autem expetendum, id certe approbandum: quod vero approbaris, id gratum acceptumque habendum: ergo etiam dignitas ei tribuenda eſt: quod ſi ita eſt, laudabile ſit neceſſe eſt: bonum igitur omne laudabile. Ex quo efficitur, ut quod ſit honeſtum, id ſit ſolum bonum.*

Quid eſt Dilemma?

R. *Dilemma* eſt, in quo utrum conceſſeris, reprehenditur. Cicero epiſt. 1. ad Q. Fratr. *Si implacabiles ſunt iracundiæ, ſumma eſt acerbitas: ſin autem exorabiles, ſumma lenitas.* Dictum eſt autem Dilemma, quod ita utrinque premat, atque urgeat, ut ex alterutra parte capiat adverſarium; quamobrem cornutus etiam ſyllogiſmus vocatur: ſic enim argumentationis cornua in eo diſponuntur,

nuntur, ut qui alterum effugerit, in alterum incurrat. Cicero complexionem appellat. Ei, ſi vera eſt, nunquam reprehendetur: ſin falſa, duobus modis diluetur; aut converſione in adverſarium, aut alterius partis iufirmatione. Re vera Dilemma nihil aliud eſt, niſi ratiocinatio imperfecta, quæ a duabus partibus contrariis ducitur, cui ſi aſſumptionem ſubjunxeris, efficies ratiocinationem perfectam hoc modo: Si implacabiles ſunt iracundiæ, ſumma eſt acerbitas; ſin autem exorabiles, ſumma lenitas: ſed vel implacabiles ſunt iracundiæ, vel exorabiles: igitur in illis ſumma eſt acerbitas, vel ſumma lenitas.

Quomodo ſunt argumentationes oratoriæ tractandæ?

R. In oratione inſunt aliquando & ratiocinationes breviter concluſæ, & aperta enthymemata, & inductiones, atque exempla ſubtili quadam & brevi oratione comprehenſa; quod ut reprehendendum non eſt; ita diligentiſſime eſt curandum, ne ſyllogiſmorum, & enthymematum turba conferta oratio ſit: dialecticis

enim

enim diſputationibus, quam oratoriis actionibus erit proprior ac ſimilior.

CAPUT VII.

Jam de Reprehenſione quid præcipis?

R. Reprehenſio utitur iiſdem locis, quibus confirmatio: attamen præcipi ſolet, quomodo quæ contra dicuntur, diluere, & infirmare poſſimus. Omnis igitur argumentatio reprehenditur tribus modis; ſi aut ex iis quæ ſumta ſunt, non conceditur aliquod unum; aut his conceſſis, confici complexionem negatur; aut contra argumentationem ipſam alia æque firma, vel firmior opponitur. Argumentum autem reprehenditur, ſi falſum erit, ſi vulgare, ſi commune, ſi leve, ſi remotum, ſi controverſum; ſi turpe, ſi contrarium, ſi diverſum. Tandem defenſor alia excuſet, minuat, obſcuret; alia deſpiciat, & irrideat; alia convertat in adverſarios, eoſque accuſet injuſtitiæ, inhumanitatis, negligentiæ.

CA-

CAPUT VIII.

Quid eſt Peroratio, & quæ in ea obſervanda?

R. Extrema pars Orationis eſt *Peroratio*, quæ diviſa eſt in duas partes, *Amplificationem*, & *Enumerationem*. Augendi autem & hic eſt proprius locus in perorando, & in ipſo curſu orationis declinationes ad amplificandum dantur; confirmata re aliqua, aut reprehenſa: omnes enim affectus, etiamſi quibuſdam videntur in proœmio, atque peroratione ſedem habere, in quibus ſane ſunt frequentiſſimi, aliæ tamen quoque partes recipiunt, ſed breviores; ut huc ex his plurima ſint reſervanda. Sed illud caput eſt, in quo optimi, & graviſſimi auctores una voce conſentiunt, ut omnes animi motus, quos orator adhibere volet auditoribus, in ipſo oratore impreſſi ſint atque inuſti. *Enumeratio* autem nonnumquam laudatori, ſuaſori non ſæpe, accuſatori ſæpius, quam reo, eſt neceſſaria. Hujus tempora duo ſunt: ſi aut memo-

memoriæ diffidas eorum, apud quos agas, vel intervallo temporis, vel longitudine orationis; vel ſi frequentatis firmamentis vim eſt habitura cauſſa majorem. Quæ autem repetimus, quam breviſſime dicenda ſunt, & quod græcum nomen *Anacephalectis* monet recurrendum per capita: nam ſi morabimur, non erit enumeratio, ſed altera quaſi fiet oratio. Quæ autem enumeranda erunt, cum pondere aliquo dicenda ſunt, & aptis excitanda ſententiis, & figuris utique varianda; alioqui nihil eſt odioſius recta illa repetitione, velut memoriæ auditorum diffidentis. Eſt etiam in enumeratione vitandum, ne oſtentatio memoriæ ſuſcepta videatur eſſe puerilis.

DE ARTE DICENDI

LIBER III.

DE ELOCUTIONE.

CAPUT I.

Quid eſt Elocutio, & quid in ea ſpectandum?

R. ELoqui eſt; ea, quæ inveneris, idoneis verbis, ac ſententiis perpolire & exornare. De utriſque dicendum eſt. Ac verba quidem (ut ab his incipiamus) vel ſunt *propria*, vel *tranſlata*: de propriis videndum eſt, ne ſint ſordida, ne dura, ne peregrina,

grina, ne turpia, ne nova, ne antiquata. *De tranſlatis*, quæ Græco nomine *Tropi* dicuntur, ſic habe.

CAPUT II.

Quid eſt Tropus?

R. TRopus eſt verbi, vel ſermonis a propria ſignificatione in aliam cum virtute mutatio; ut cum dicimus, *lætas ſegetes*; verbum, *Lætus*, a propria ſignificatione, qua lætos homines dicimus, ad ſegetes cum virtute transfertur. Sunt autem tropi numero undecim. In uno verbo ſeptem, *Metaphora*, *Synecdoche*, *Metonymia*, *Antonomaſia*, *Onomatopoeia*, *Catachreſis*, *Metalepſis*. In oratione vero quatuor: *Allegoria*, *Periphraſis*, *Hyperbaton*, & *Hyperbole*. Alii plures, alii pauciores faciunt: nos quod ſimillimum veri eſt, ſecuti ſumus.

CAPUT III.

Quid eſt Metaphora?

R. MEtaphora eſt, cum verbum ex

ex quadam re transfertur in aliam, in quam propter ſimilitudinem recte videtur poſſe transferri. Id facimus, aut quia neceſſe eſt, aut quia ſignificantius, aut quia decentius: nam *gemmare vites* etiam ruſtici neceſſitate dicunt; oratores, *durum hominem*, aut *aſperum*: non enim proprium erat, quod darent his affectionibus nomen. Jam, *incenſum ira*, *inflammatum cupiditate*, & *lapſum errore* ſignificandi gratia: nihil enim horum ſuis verbis, quam his accerſitis magis proprium erat. Illa ad ornatum, *lumen orationis*, *generis claritatem*, *concionum procellas*, *eloquentiæ flumina*.

CAPUT IV.

Quotuplex eſt Tranſlatio?

R. Metaphoræ autem vis omnis quadruplex eſt: cum in rebus animalibus aliud pro alio ponitur; ut Livius, Scipionem a Catone *allatrari* ſolitum refert. Inanima pro aliis generis ejuſdem ſumuntur; ut *Concentu* virtutum nihil eſt ſuavius. Aut pro rebus animatis inani-

mæ,

mæ, ut apud Virgilium, lib. 6. Æn. v. 837.

... Duo fulmina belli,
Scipiadas.

Aut contra, lib. 2. Æn. v. 307.

... ſtupet inſcius alto
Accipiens ſonitum ſaxi de vertice paſtor.

Præcipue ex his oritur mira ſublimitas, cum rebus ſenſu carentibus actum quendam, & animos damus: quale eſt illud Virgilii lib. 8. v. 728.

... Pontem indignatus Araxes.

In tranſlatione primum fugienda eſt diſſimilitudo, qualis eſt in illo Ennii: *Coeli ingentes fornices*. Deinde videndum eſt, ne longe ſimile ſit ductum. Itaque non *Syrtim patrimonii*, ſed *Scopulum* libentius dixerim. non *Carybdim bonorum*, ſed *voraginem* potius. Facilius enim ad ea, quæ viſa, quam ad illa, quæ audita ſunt, mentis oculi feruntur. Sunt quædam nimis humiles tranſlationes; ut, *Saxea eſt verruca*. Quædam majores, quam res poſtulat; ut *Tempeſtas comeſſationis*. Quædam minores, ut *Comeſſatio tempeſtatis*.

CAPUT V.

Quid eſt Synecdoche?

R. SYnecdoche tropus eſt, in quo ex parte totum, aut contra: aut ex antecedentibus ſequentia intelliguntur. Quæ deſcriptio octo illos modos comprehendit, quibus fit Synecdoche, quos graviſſimi ſcriptores tradiderunt. Ex parte totum intelligitur, ut ex *puppi navis*, *enſis* ex *mucrone*, ex *tecto domus*. Cicero in Catil. orat. 3. c. 1. *Mucrones eorum a jugulis veſtris rejecimus*. Huc pertinet, cum vel ex uno plures ſignificantur. Virgilius l. 2. Æn. v. 290.

Hoſtis habet muros.

Vel genus ex forma, id eſt parte illi ſubjecta. Virgilius 3. Georg. v. 255.

Denteſque Sabellicus exacuit ſus i pro quovis ſue. Vel ex materia res univerſa: qua ratione & *ferrum* pro *gladio*, & *pinus* pro *navi*, & *aurum*, atque *argentum* pro *aurea*, & *argentea pecunia* ſumitur. Cicero: *Homines inſtructi, & certis locis cum ferro collocati*. Contra vero ex toto

pars

pars declaratur: ut in illo Virgilii lib. 12. v. 119.

Fontemque, ignemque ferebant.

De quo genere eſt, cum aut e pluribus unus intelligitur. Cicero ad Brutum: *Populo*, inquit, *impoſuimus*, *& oratores viſi ſumus*; cum de ſe tantum loqueretur. Aut e genere pars illi ſubjecta. Virgilius lib. 12. v. 255.

Prædamque ex unguibus Ales projecit fluvio. pro *Aquila*.

Ex antecedentibus ſequentia monſtrantur; ut cum ait idem Poeta Ecl. 2. v. 66.

Aſpice, aratra jugo referunt ſuſpenſa juvenci.

CAPUT VI.

Quid eſt Metonymia?

R. Metonymia eſt tropus, in quo cauſſas per effecta, vel effecta per cauſſas, vel ex eo, quod continet, id quod continetur, vel rem e ſigno intelligimus. Per cauſſam effecta declaramus, cum inventor, aut alicujus rei auctor pro re inventa ponitur. Virgilius lib. 8. Æn. v. 180.

.. Onerantque caniſtris
Dona laboratæ Cereris.

Ex effectis autem cauſſa ſignificatur, cum *ſacrilegium deprehenſum*, & *ſcelus* dicimus pro *ſcelerato*. Hinc *mæſtum timorem*, *triſtem ſenectutem*, & *pallidam mortem* eleganter optimi dicunt Auctores. Virgilius l. 1. Æn. v. 206.

... Mæſtumque timorem Mittite.

Ex eo, quod continet, id, quod continetur, venuſte etiam intelligitur. Sic *bene moratæ urbes* vocantur: ſic *ſæculum felix*: ſic *Roma* pro *Romanis*; *Athenæ* pro *Athenienſibus* frequenter ponuntur. Virgilius lib. 8. v. 64.

Coelo gratiſſimus amnis: ideſt Cœleſtibus.

Huc referuntur etiam illa, cum ex poſſeſſore res, quæ poſſidetur, aut ex duce exercitus ſignificatur. Virgilius l. 2. Æn. v. 311.

... Jam proximus ardet
Ucalegon. h. e. Ucalegontis domus. Sic *hominem devorari*, cujus patrimonium devoratur: & ab *Annibale* apud Cannas cæſa ſexaginta millia dici-

dicimus, ideſt ab ejus copiis: E ſigno dinique res monſtratur; unde *toga*, quæ pacis erat inſigne & otii, pro *pace*: & *faſces* uſurpantur pro *magiſtratu*. Virgilius 2. Georg. v. 495.

Non illum populi faſces, non purpura regum
Flexit.

CAPUT VII.

Quid eſt Antonomaſia?

R. ANtonomaſia ponit aliquid pro nomine; ut *Everſor Carthaginis, & Numantiæ*, pro *Scipione*: & *Romanæ eloquentiæ princeps* pro *Cicerone*. Si Scipionem & Ciceronem adjicias, quæ erat antonomaſia, fit appoſitum, & caret tropo.

CAPUT VIII.

Quid eſt Onomatopæja?

R. ONomatopæja, id eſt fictio nominis, Græcis inter maximas habita virtutes, Latinis vix permittitur. Ab his tamen plurima

ſunt per Onomatopœjam poſita [1], cui primi ſermonem fecerunt, aptantes affectionibus nomen. Nam *mugitus*, & *ſibilus*, & *murmur*, & *vagitus*, aliaque quamplurima inde venerunt.

CAPUT IX.

Quid eſt Catachreſis?

R. CAtachreſis, quam recte dicimus Abuſionem, non habentibus nomen ſuum accomodat, quod proximum eſt. Sic Virgilius l. 2. Æn. v. 15.

Equum divina Palladis arte
Ædificant.

Sic *parricida* matris quoque, aut ſororis interfector dicitur. Valde ſimilis eſt Metaphoræ, ſed áb ea tamen diſtinguitur, quod Abuſio nomen ex vicina, ac finitima re accommodat alteri rei, quæ ſine nomine eſt; Metaphora vero, etiamſi nomen non deeſt, undecunque, modo ſimilitudinem res habeat, alienum nomen aſciſcit.

CA-

CAPUT X.

Quid eſt Metalepſis?

R. SUpereſt ex iis Tropis, qui aliter ſignificant, Metalepſis, id eſt tranſumtio ex alio in aliud. Tropus autem eſt rariſſimus, & maxime improprius. Virgilius Ecl. 1. v. 70.

Poſt aliquot mea regna videns mirabor ariſtas.

Gradatim enim ab ariſtis ad ſpicas, a ſpicis ad ſegetes, ab his ad æſtates, ab æſtatibus ad annos acceditur.

CAPUT XI.

Quid eſt Allegoria?

R. ALlegoria, quam Inverſionem interpretamur, aliud verbis, aliud ſenſu oſtendit. Virgilius Georg. 2. v. 541.

Sed nos immenſum ſpatiis confecimus æquor:
Et jam tempus equum fumantia ſolvere colla.

Interdum allegorica miſcentur pro-

 priis

priis. Cicero pro Mil. c. 2. *Equidem ceteras tempeſtates, & procellas in illis dumtaxat fluctibus concionum, ſemper Miloni putavi eſſe ſubeundas.* Niſi adjeciſſet, *fluctibus concionum*, eſſet *allegoria*: nunc eam miſcuit. Allegoria, quæ eſt obſcurior, Ænigma dicitur, vitium profecto; ſiquidem dicere dilucide, virtus: quo tamen & poetæ utuntur. Virgilius Ec. 3. v. 104.

Dic, quibus in terris, & eris mihi magnus Apollo,
Tres pateat coeli ſpatium non amplus ulnas.

CAPUT XII.

Quid eſt Ironia?

R. Ironia, quam Illuſionem vocant, allegoria eſt, quæ non ſolum aliud ſenſu, aliud verbis oſtendit, ſed contrarium. Ea aut ex pronunciacione intelligitur, aut ex perſona, aut ex rei natura: nam, ſi qua earum verbis diſſentit, apparet, diverſam eſſe orationi voluntantem. Juvenalis ſat. 2. v. 104.

Nimirum ſummi ducis eſt occidere Galbam,

Et

Et curare eâtem ſummi conſtantia civis.

CAPUT XIII.

Quid eſt Periphraſis?

R. CUM pluribus verbis id, quod uno, aut paucioribus dici poteſt, explicatur, Periphraſin vocant, h. e circuitum loquendi, qui eſt apud poetas frequentiſſimus. Virgilius l. 2. Æn. v. 268.

Tempus erat, quo prima quies mortalibus ægris
Incipit, & dono Divûm gratiſſima ſerpit.

CAPUT XIV.

Quid eſt Hyperbaton?

R. HYperbaton, ideſt tranſgreſſio, eſt quæ verborum turbat ordinem, ut cum Virgilius dicit 1. Æn. v. 36.

Maria omnia circum.

Interdum comprehenditur verbo uno, quod dividitur in duo, & inter utramque partem vox alia interjicitur.

tur. Virgilius 3. Georg. v. 381.
Hyperboreo ſeptem ſubjecta trioni.
Poeticus tropus eſt, ſed interdum conceditur etiam Oratoribus. Cicero pro Sext. c. 31. *Quod judicium cumque ſubjerat, damnabatur.*

CAPUT XV.

Quid eſt Hyperbole?

R. Hyperbole eſt ementiens ſuperjectio, cujus virtus eſt in augendo, ac minuendo poſita. Virgilius Æn. l. 1. v. 166.

... geminique minantur
In coelum ſcopuli.

Ecl. 3. v. 102.

... Vix oſſibus hærent.

Sed tam in augendo, quam in minuendo ſervetur menſura quædam. Quamvis enim eſt omnis Hyperbole ultra fidem, non tamen eſſe debet ultra modum.

CA-

CAPUT XVI.

De ornatu, qui eſt in verbis conjunctis, ac primo de Figuris.

Quid eſt Figura?

R. Figura, ſicut ex nomine ipſo patet, eſt conformatio quædam orationis remota a communi, & primum ſe offerente ratione. Differt autem a tropis figura: quia propriis verbis figura fieri poteſt, quod in tropos non cadit; ut in Manil. c. 12. *Fuit hoc quondam, fuit proprium populi Romani.* Figura eſt in verbo geminato. Illud autem notandum, coire frequenter in eaſdem ſententias & tropum, & figuram. Tam enim tranſlatis verbis, quam propriis figuratur oratio: ut in Catil. orat. 1. c. 12. *Qui ſpem Catilinæ mollibus ſententiis aluerunt, conjurationemque naſcentem non credendo corroboraverunt. Aluerunt, & corroboraverunt* tranſlata ſunt, & ſimiliter deſinentia, ſimiliterque cadentia. Ad uſum quod attinet, illud in primis animadvertendum eſt,

ſimplici ſermone res explicari, & oſtendi; at figurato ipſas quoque dicentis perturbationes, animique motus pateſieri. Itaque ſimplex oratio magis valet ad docendum, figurata ad movendum.

CAPUT XVII.

Quotuplex eſt genus figurarum?

R. Figuræ vel ſunt in verbis, vel in ſententiis. Verborum exornatio eſt, quæ ipſius ſermonis inſignita continetur perpolitione. Inter conformationem vero verborum, & ſententiarum hoc intereſt, quod verborum conformatio tollitur, ſi verba mutaris; ſententiarum permanet, quibuſcumque verbis uti velis: ut ſi dicas: *Nunc vero quid agat, quid moliatur, quid denique quotidie cogitet, quem ignorare noſtrum putet?* Repetitio eſt verborum figura, & Interrogatio figura ſententiarum. Perſæpe enim unus & idem locus & verborum, & ſententiarum ornamentis illuminatur. Muta verba: *Quid agat, moliatur, ac denique cogitet, quem ignorare noſtrum*

ſtrum putet? Repetitio tollitur; Interrogatio permanet.

CAPUT XVIII.

Quot modis fiunt Figuræ Verborum?

R. Figuræ Verborum tribus maxime fiunt modis; per Adjectionem, Detractionem, Similitudinem. Per Adjectionem, ut in orat. pro Mil. c. 27. *Occidi, occidi, non Spurium Melium*: quo loco verbum, *Occidi*, figurate geminatum eſt. Per Detractionem etiam fiunt figuræ, in quibus multum eſt venuſtatis. Cic. in Catilinam orat. 2. c. 1. *Abiit, exceſſit, evaſit, erupit*: ubi conjunctiones prætermittuntur. Eſt tertium genus figurarum, quod quandam vocum habet ſimilitudinem, & aures præcipue in ſe vertit, & animos excitat. Cicero in Orat. c. 10. *Itaque efficis, ut, cum gratiæ cauſſa nihil facias, omnia tamen ſint grata, quæ facis.*

CAPUT XIX.

Quænam ſunt Figuræ quæ ſiunt per adjectionem.

R. Octo ſunt figuræ per adjectionem. Repetitio eſt, cum ab eodem verbo ducitur ſæpius oratio: Vel, ut Cicero eam deſcribit, eſt ejuſdem verbi crebra a primo repetitio. Cic. orat. 1. Cap. 3. in Catil. nihil agis, nihil moliris, nihil cogitas, quod ego non modo non audiam, ſed etiam videam, planeque ſentiam.

Converſio eſt, cum in idem verbum conjicitur ſæpius oratio. Cicero Philip. 2. c. 22. *Doletis tres exercitus populi Romani interfectos? interfecit Antonius. Deſideratis clariſſimos cives? eos quoque eripuit vobis Antonius. Auctoritas hujus ordinis afflicta eſt? Afflixit Antonius.*

Complexio eſt, quæ Repetitionem, & Converſionem complectitur. *Qui ſunt, qui foedera ſæpe ruperunt? Carthaginenſes. Qui ſunt, qui crudele bellum in Italia geſſerunt? Carthaginenſes. Qui ſunt, qui Italiam*

liam deformaverunt? Carthaginenſes. Qui ſunt, qui ſibi poſtulant ignoſci? Carthaginenſes.

Conduplicatio eſt verborum geminatio, quæ habet interdum vim, leporem alias. Geminantur autem verba modis pluribus. Aut enim adjungitur idem iteratum. Cicero in Catil. orat. 1. c. 2. *Vivis, & vivis non ad deponendam, ſed ad confirmandam audaciam.* Aut idem ad extremum refertur. Cicero in Verr. 4. *Multi, & graves dolores inventi parentibus, & propinquis multi.* Aut continenter unum verbum non in eadem ſententia ponitur. Cicero pro Lig. c. 6. *Principum dignitas erat pene par, non par fortaſſe eorum, qui ſequebantur.* Aut poſt aliquam interjectionem verba repetuntur. Cicero Philip. 2. c. 6. *Bona (miſerum me, conſumtis enim lacrymis, tamen infixus animo hæret dolor) bona, inquam, Cn. Pompeii acerbiſſimæ voci ſubjecta præconis.* Poſſunt quoque media reſpondere vel primis. Virgilius l. 7. Æn. v. 759.

Te nemus Angitiæ, vitrea te Fucinus unda.

Vel

Vel ultimis. Cicero in Verrina ult. *Hæc navis onuſta ex præda Sicilienſi, cum ipſa quoque eſſet ex præda*. Interdum ſententia tota repetitur: Cicero ibid. *Quid Cleomenes facere potuit? non enim poſſum quenquam inſimulare falſo, quid, inquam, Cleomenes magnopere facere potuit?* Ille vero apud Ciceronem locus eſt pulcherrimus, in quo & primo verbo longo intervallo redditum eſt ultimum, & media primis, & mediis ultima congruunt: *Veſtrum jam hic factum reprehenditur, P. C. non meum, ac pulcherrimum quidem factum; verum, ut dixi, non meum, ſed veſtrum*.

Traductio eſt, cum verba paululum immutata ponuntur. Cicero pro Arh. c. 6. *Pleni ſunt omnes libri, plenæ ſapientum voces; plena exemplorum vetuſtas*.

Synonymia eſt, cum verba idem ſignificantia congregantur. Cicero Catillin. 2. c. 1. *Abiit, Exceſſit, evaſit, erupit*.

Poly-

Polyſyntheton eſt ſchema, quod conjunctionibus abundat. Virgilius Georg. 3. v. 345.

. . . . , *Tectumque, laremque.*
Armaque, Amyclæumque canem,
Creſſamque pharetram.

Gradatio eſt, cum gradatim ſurſum verſus reditur: ut ſi dicam: *Africano virtutem induſtria, virtus gloriam, gloria æmulos comparavit.*

CAPUT XX.

Quænam ſunt figuræ verborum, quæ fiunt per detractionem?

R. Diſſolutio, quam Articulum alii vocant, eſt, cum demtis conjunctionibus, diſſolute plura dicuntur. Cicero de Prov. Conſ. c. 14. *Sit in ejus tutela Gallia, cujus virtuti, fidei, felicitati commendata eſt.* Apta eſt hæc figura non ſingulis modo verbis, ſed ſententiis etiam. Cicero pro Arch. c. 7. *Hæc ſtudia adoleſcentiam alunt, ſenectutem oblectant, ſecundas res ornant, adverſis perfugium præbent, delectant domi,* *non*

non impediunt foris, pernoctant nobiſcum, peregrinantur, ruſticantur.

Adjunctio eſt, in qua unum ad verbum, quod primum, aut poſtremum collocatur, plures ſententiæ referuntur, quarum unaquæque deſideraret illud, ſi ſola poneretur. Fit autem, præpoſito verbo, ad quod reliqua reſpiciant, hoc modo; *Vicit pudorem libido, timorem audacia, rationem amentia.* Aut illato, quo plura clauduntur: ut in Catilin. 1. c. 9. *Nec enim is es, Catilina, ut te aut pudor unquam a turpitudine, aut metus a periculo, aut ratio a furore revocaverit.* Medium quoque poteſt eſſe quod prioribus, & ſequentibus ſufficiat, ut: *Formæ dignitas aut morbo defloreſcit, aut vetuſtate.*

Disjunctio, quam perſpicuitatis gratia, quoniam ſuperioribus contraria eſt, hoc loco tradimus, eſt, cum eorum, de quibus dicimus, unumquodque certo concluditur verbo. Cicero pro Arch. c. 8. *Homerum Colophonii civem eſſe dicunt ſuum, Chii ſuum vendicant, Salaminii*

nii repetunt, Smyrnæi vero ſuum eſſe confirmant.

Synecdoche fit, cum ſubtractum aliquod verbum ſatis ex ceteris intelligitur. Hujuſmodi eſt illud: *Sermo nullus ſcilicet, niſi de te: quid enim potius?* Simul enim intelligitur, in priori quidem parte *Eſt*, in poſteriori vero *Faciamus*, aut aliquid ſimile. Differt ab Apoſiopeſi, quæ ſententiarum eſt exornatio, quod in ea unum verbum, & manifeſtum quidem deſideretur, ut in ſuperiori exemplo, & in illo etiam Ciceronis apud Quintilianum l. 9. c. 3. *Data Lupercalibus, quo die Antonius Cæſari:* ubi nihil aliud intelligi poteſt, niſi hoc, *Diadema impoſuit.* At in Apoſiopeſi aut incertum eſt, quod tacetur, aut certe longiori ſermone explicandum.

Synœciosis eſt, quæ duas res diverſas colligat, hoc modo: *Tam deeſt avaro, quod habet, quam quod non habet.*

CA-

CAPUT XXI.

Quænam ſunt figuræ verborum quæ fiunt per ſimilitudinem ?

R. Agnominatio, quam Græci Paronomaſiam vocant, eſt, cum paulum immutata verba, atque deflexa in oratione ponuntur. Ea multis, & variis rationibus conficitur. Adjectione, hoc modo: Cicero pro Cluent. c. 1. *Si in hac calamitoſa fama, quaſi in aliqua pernicioſiſſima flamma*. Et, *Emit morte immortalitatem*. Detractione ſic contra eum, qui ſe legationi immoriturum dixerat, pater Quinctiliani l. 9. c. 3. *Non exigo, ut immoriaris legationi: immorare*. Commutatione, hoc modo: Cicero in Catil. orat. 1. c. 12. *Hanc reipublicæ peſtem paulisper reprimi, non in perpetuum comprimi poſſe*. Tranſlatione: *Videte, Judices, utrum homini navo, an vano credere malitis*.

Similiter cadens exornatio eſt, cum in eoſdem caſus verba cadunt. Cicero pro Arch. c. 8. *Hunc ego non*

non diligam? non admirer? non omni ratione defendendum putem? Similiter cadens eſt in illis verbis, *Diligam*, *admirer*, *putem*, nam & verborum, ut nominum, ſui etiam ſunt caſus.

Similiter deſinens eſt, cum ſive caſus ſit in verbis, ſive non, tamen ſimiles exitus ſunt. Cicero pro Mil. c. 2. *Non modo ad ſalutem ejus extinguendam, ſed etiam gloriam per tales viros infringendam*. Differt hæc figura a ſuperiore: eſt enim Similiter cadens tantum caſus ſimilis, etiamſi diſſimilis exitus ſit: at Similiter deſinens in eoſdem exitus cadit: ut, *Audacter territas, humiliter placas*.

Compar Græci vocant Iſocolon; habet membra orationis, quæ conſtant ex pari fere numero ſyllabarum. Hoc non numeratione fiet: nam id quidem puerile eſt: ſed tantum affert uſus & exercitatio facultatis, ut animi quodam ſenſu par membrum ſuperiori referre poſſimus. Cicero pro leg. Manil. c. 12. *Ita tantum bellum extrema hyeme apparavit, ineunte vere ſuſcepit, media æſtate confecit*.

Con-

Contrapoſitum autem, vel, ut quidam vocant, Contentio (Antitheton Græcis dicitur) non uno fit modo. Nam & fit, ſi ſingula ſingulis opponuntur: ut in Catil. *Vicit pudorem libido, timorem audacia, rationem amentia*. Et bina binis: *Non noſtri ingenii, veſtri auxilii eſt*. Et ſententiæ ſententiis. Cicero pro Mur. c. 36. *Odit populus Romanus privatam luxuriam, publicam magnificentiam diligit*. Nec ſemper contrapoſitum ſubjungitur; ut in hoc Ciceronis pro Mil. c. 4. *Eſt enim hæc, Judices, non ſcripta, ſed nata lex*. Sed crebra etiam crebris opponuntur; ut in eo, quod ſequitur: *Quam legem non didicimus, accepimus, legimus: verum ex natura ipſa arripuimus, hauſimus, expreſſimus*.

Commutatio eſt, cum duæ ſententiæ inter ſe diſcrepantes ita efferuntur, ut a priore poſterior contraria priori proficiſcatur: *Non, ut edam, vivo, ſed, ut vivam, edo*.

CA.

CAPUT XXII.

Quid eſt figura ſententiarum?

R. SEntentiarum figura eſt, quæ non in verbis, ſed in ipſis rebus quandam habet dignitatem.

Interrogatio figura eſt, quoties non ſciſcitandi gratia aſſumitur, ſed inſtandi. Cicero in Catil. orat. 1. c. 1. *Quouſque tandem abutere, Catelina, patientia noſtra? patere tua conſilia non ſentis?* Et totus denique hic locus: quanto enim magis ardet, quam ſi diceretur: *Diu abuteris patientia noſtra: patent tua conſilia.* Interrogamus etiam, quod negari non poſſit. Cicero pro Cluent. c. 37. *Dixit ne tandem cauſſam C. Fidiculanius Falcula?* Aut ubi reſpondendi difficilis eſt ratio, ut vulgo uti ſolemus: *Quomodo? Qui fieri poteſt?* Aut invidiæ, aut miſerationis; ut Sinon apud Virgilium 2. Æn. v. 68.

Heu, quæ nunc tellus, inquit, quæ me æquora poſſunt
Accipere?

Con-

Convenit etiam indignationi: l. 1. v. 52.

Et quiſquam numen Junonis adoret?

Et admirationi: l. 3. v. 56.

Quid non mortalia pectora cogis
Auri ſacra fames?

Eſt item acrius imperandi genus: l. 4. v. 592.

Non arma expedient, totaque ex urbe ſequentur?

Et ipſi noſmet rogamus: quale eſt illud Turni l. 12. v. 883.

Quid agam? aut quæ jam ſatis ima dehiſcat
Terra mihi?

Reſponſio ſignra eſt, cum aliud interroganti ad aliud, quia ſic utilius ſit, occurritur: tum augendi criminis gratia; ut teſtis in reum rogatus, an a reo fuſtibus vapulaſſet, *& innocens*, inquit: tum declinandi, quod eſt freqnentiſſimum, ut ſi quis dicat: Quæro, an occideris hominem? tu autem reſpondeas, *latronem*.

Subjectio eſt, cum orator vel interrogat ſeipſum, & reſpondet ſibi: vel cum alium rogaverit, non expectat reſponſum. Cicero pro Lig. c. 3. *Apud*

Apud quem igitur hoc dico? nempe apud eum, qui, cum hoc ſciret, tamen me, antequam vidit, reipublicæ reddidit. Idem in Orat. c. 67. *Domus tibi deerat? at habebas. Pecunia ſuperabat? at egebas.*

Occupatio, quam Quinctilianus Præſumptionem, Græci Prolepſin dicunt, eſt cum id, quod objici poteſt, occupamus. Huc pertinet illa Ciceronis præmunitio in Divinatione, quod ad accuſandum deſcendat, qui ſemper defenderit.

Correctio eſt, quæ tollit ſententiam aliquam, & eam alia, quæ magis idonea videtur, emendat, & corrigit. Cicero 2. Off. c. 22. *Italiam ornare, quam domum ſuam maluit; quamquam Italia ornata domus ipſa mihi videtur ornatior.* Eſt etiam correctio in verborum exornationibus, quæ tollit verbum, quod dictum eſt, & pro eo id, quod magis idoneum videtur, reponit, ut in illo ad Herenn. l. 4. c. 26. *O virtutis comes invidia, quæ bonos inſequeris, atque adeo inſectaris!*

Dubitatio eſt, cum quærimus,

 unde

unde incipiendum, ubi deſinendum, quid potiſſimum dicendum, an omnino dicendum ſit. Cicero pro Cluent. c. 1. *Equidem, quod ad me attinet, quo me vertam neſcio. Negem fuiſſe infamiam judicii corrupti?* &c.

Communicatio non procul abeſt a Dubitatione, cum aut ipſos adverſarios conſulimus. Cicero pro C. Rab. c. 8. *Tu denique, Labiene, quid faceres tali in re, ac tempore?* Aut auditores ipſos conſulimus. Cicero Verr. 2. c. 11. *Nunc ego, Judices, jam vos conſulo, quid mihi faciendum putetis. Id enim conſilii mihi profecto tacite dabitis, quod egomet mihi neceſſario capiendum intelligo.*

Proſopopæja eſt perſonarum ficta inductio. Hac adverſariorum ſermones & noſtros cum aliis, & aliorum inter ſe credibiliter introducimus. Quin mortuos excitare in hoc genere dicendi conceſſum eſt. Urbes etiam, populique vocem accipiunt, in quibus hoc modo mollior fit figura: *Etenim ſi mecum patria, quæ mihi vita mea multo eſt carior, ſi cuncta Italia, ſi omnis reſpub. ſic loque-*

querentur: *M. Tulli*, *quid agis?* Et quæ ſequuntut orat. 1. in Cat. c. 11.

Apoſtrophe eſt averſus a Judice ſermo. Mire autem valet, ſive adverſarios invadimus. Cicero pro Lig. c. 3. *Quid enim*, *Tubero*, *tuus ille diſtrictus in acie Pharſalica gladius agebat?* Sive ad invocationem aliquam convertimur. Cicero pro Mil. c. 32. *Vos enim jam*, *Albani tumuli*, *atque luci*. Sive ad invidioſam implorationem, ut: *O leges Porciæ*, *legeſque Semproniæ!*

Hypotypoſis, quam illuſtrem explanationem Cicero appellat, eſt propoſita quædam forma rerum, ita expreſſa verbis, ut cerni potius videatur, quam audiri; Vel, eſt rerum, quaſi gerantur, ſub aſpectum pene ſubjectio. Cicero in Verr. 7. c. 41. *Ipſe imflammatus ſcelere ac furore in forum venit: ardebant oculi, toto ex ore crudelitas emicabat*.

Apoſiopeſis, quam Cicero Reticentiam, nonnulli Interruptionem appellant, & ipſa oſtendit affectus vel iræ, ut apud Virgilium l. 1. Æn. v. 139.

Quos ego: ſed motos præſtat componere fluctus.

Vel ſolicitudinis, & quaſi religionis, ut apud Ciceronem pro Mil. *An hujus ille legis, quam Clodius a ſe inventam gloriatur, mentionem facere auſus eſſet, vivo Milone, ne dicam conſule? De noſtrum enim omnium non audeo totum dicere.* Vel pudoris, ut apud Virgilium Ecl. 3. v. 8.

Novimus & qui te.

Ethopœja eſt imitatio vitæ, ac morum alienorum. Cicero contra Rullum orat. 2. c. 5. *Jam deſignatus alio vultu, alio vocis ſono, alio inceſſu eſſe meditabatur; veſtitu obſoletiore, corpore inculto, & horrido, capillatior, quam ante, barbaque majore, ut oculis, & aſpectu denunciare vim Tribunitiam, & minitari Reip. videretur.*

Emphaſis eſt, cum ex aliquo dicto latens aliquid eruitur; vel, ut Cicero definit, quæ plus ad intelligendum, quam dicitur relinquit. Virgilius l. 1. Æn. v. 262.

Demiſſum lapſi per funem.

Su-

Suſtentatio, eſt figura, qua diu ſuſpenduntur auditorum animi, atque aliquid deinde inexpectatum ſubjungitur: ut in Verr. Cicero l. 5. c. 44. *Quid deinde? quid cenſetis? furtum fortaſſe, aut prædam aliquam?* Deinde cum diu ſuſpendiſſet Judicum animos, ſubjecit, quod multo eſſet improbius. Aliquando etiam, cum expectationem alicujus rei graviſſimæ orator concitaverit, ad aliquid, quod leve ſit, aut nullo modo criminoſum, deſcendit.

Prætermiſſio, vel Præteritio eſt, cum dicimus nos præterire, aut non ſcire, aut nolle dicere id, quod tunc maxime dicimus. Cicero in Rull. or. 1. c. 1. *Non quæro diminutionem vectigalium, non flagitium hujus jacturæ, atque damni: prætermitto illa, quæ nemo eſt, quin graviſſime, & veriſſime conqueri poſſit.*

Licentia eſt, cum apud eos, quos aut vereri, aut metuere debet orator, tamen aliquid pro jure ſuo dicit, quod eos minime offendat. Cicero pro Lig. c. 3. *Vide, quam non reformidem: vide quanta lux libera-*

beralitatis , & ſapientiæ tuæ mihi apud te dicenti oboriatur : quantum potero , voce contendam , ut hoc populus Romanus exaudiat : Suſcepto bello , Cæſar , geſto etiam magna ex parte , nulla vi coactus , judicio meo ac voluntate , ad ea arma profectus ſum , quæ erant ſumta contra te .

Conceſſio eſt , cum aliquid etiam iniquum videtur orator pati , atque concedere , ut quæ deinde dicturus eſt , graviora videantur . Cicero in Verr. l. 5. act. 2. c. 44. *Levia ſunt hæc in hoc reo crimina . Metum virgarum navarchus nobiliſſimæ civitatis pretio redemit ? humanum . Alius , ne condemnaretur , pecuniam dedit ? uſitatum eſt . Non vult Pop. Rom. obſoletis criminibus accuſari Verrem : nova poſtulat , inaudita deſiderat : non de Prætore Siciliæ , ſed de crudeliſſimo Tyranno fieri judicium arbitratur.*

Interruptio eſt brevis declinatio a propoſito : nam longior illa digreſſio inter figuras numeranda non eſt . Virgilius Ecl. 9. v. 27.

Vare , tuum nomen (ſuperet modo Mantua nobis ;

Man-

Mantua, væ, miſeræ nimium vicina Cremonæ!
Cantantes ſublime ferent ad ſydera Cycni.

Ironia & a Quintiliano, & a Cicerone inter ſententiarum exornationes numeratur. Differt autem ab illa, quæ tropus eſt, quod tropus brevior ſit, & apertior: at in figura totius voluntatis fictio eſt. *Novum crimen, C. Cæſar, & ante hunc diem inauditum propinquus meus ad te Q. Tubero detulit; Q. Ligarium in Africa fuiſſe.* Et quæ ſequuntur.

Diſtributio, quæ ad ſententiarum exornationes pertinet, eſt, cum aliquid in partes plures tribuitur, quarum unicuique ratio deinde ſua ſubjungitur: ut ſi dicam: *Alexandro Macedoni neque in deliberando conſilium, neque in pugnando virtus, neque in benefaciendo benignitas deerat. Nam, cum aliqua res dubia accidiſſet, apparebat ſapientiſſimus, cum autem confligendum eſſet cum hoſtibus, fortiſſimus, cum vero præmium dignis tribuendum, liberaliſſimus.*

Permiſſio eſt, cum alicui rei vehementer confidimus, & oſtendimus nos eam tradere atque concedere alicujus voluntati, hoc modo: *Sed ego jam, Judices, totum hoc omitto: vobis, quod æquiſſimum videatur, ut conſtituatis, permitto. Non enim vereor*, &c.

Deprecatio, quam vel Obſecrationem, vel Obteſtationem alii appellant, eſt, cum opem alicujus imploramus, Cicero pro Dejot. c. 3. *Per dexteram te iſtam oro, quam Regi Dejotaro hoſpes hoſpiti porrexiſti; iſtam, inquam, dexteram, non tam in bellis & præliis, quam in promiſſis & fide firmiorem.*

Execratio eſt, qua malum alicui precamur. Cicero pro Dejot. c. 7. *Dii te perdant, fugitive, ita non modo nequam & improbus, ſed fatuus & amens es.*

Epiphonema eſt rei narratæ, vel probatæ ſumma acclamatio. Virgilius l. 1. Æn. v. 37.

Tan-

Tantæ molis erat Romanam condere gentem.

Exclamatio eſt, quæ conficit ſignificationem doloris, aut indignationis alicujus per hominis, aut rei cujuſpiam compellationem. Cicero Philip. 2. cap. 26. *O miſerum me! Conſumtis enim lacrymis, infixus tamen pectori hæret dolor.* Et in Catilinar. 2. c. 1. *O tempora, o mores! Senatus hoc intelligit, Conſul videt; hic tamen vivit.*

DE ORATIONIS PERIODO, EJUSQUE NATURA ET PARTIBUS.

Quid eſt orationis periodus?

R. Orationis periodus, ut a Cornificio deſcribitur l. 4. c. 19. eſt continuata quædam verborum frequentia cum ſenſus abſolutione. A Tullio autem de Clar. Or. c. 44. modo orationis comprehenſio, modo continuatio, modo circumſcriptio, modo circuitus, modo ambitus appellatur.

Quot ſunt partes periodi?

R. Duæ ſunt, membrum ſcilicet, quod Græci *Colon* & inciſum, quod *Comma* appellant.

Quid eſt membrum?

R. Membrum longiuſcula periodi pars eſt, quæ ajendo, vel negando ſen-

ſententiam aliquam continet, non tamen ſemper ſenſum perficit. Ita illud M. Tullii pro Cluentio c. 58. *Si nobis recte factorum teſtis in omni vita conſcientia fuerit*, membrum eſt: cui ſi alterum illud addas, *ſine ullo metu, ac ſumma cum honeſtate vivemus*, periodum efficies, ſenſum que abſolves.

Quid eſt inciſum?

R. Inciſum eſt brevior pars membi, ut in illa Paradoxi 4. *Magnitudine conſilii, tolerantia rerum humanarum, contemptione fortunæ, virtutibus omnibus*, quatuor inciſa ſunt. Adde, *Sapientis animus circumſeptus*, jam membrum efficies: cui ſi illud quoque adjunxeris, *vinci, & expugnari non poteſt*, periodum habebis numeris omnibus abſolutam.

Quis ſermo periodus dicitur?

R. Qui, quod dicit, circumſcriptionibus certa lege fluentibus, ac ſibi invicem reſpondentibus ita effert. ut verborum ſtructura ſuis quaſi membris artificioſe diſtincta, concinnitatem efficias, quæ audientis animum cum voluptate detineat.

Quis membratim dicit?

R. Qui pluribus membris utitur ſolutis ac liberis, ut Cicero pro Murena c. 9. *Multo plus habet dignitatis rei militaris, quam Juris civilis gloria. Vigilas tu de nocte, ut conſultoribus tuis apte reſpondeas; ille ut eo, quo intendit, cum exercitu mature perveniat; te gallorum, illum buccinarum cantus exſuſcitat; tu actionem inſtituis, ille aciem inſtruit; tu denique caves, ne tui conſultores, ille ne urbes, aut caſtra capiantur.*

Quis loquitur inciſim?

R. Qui orationem crebris commatibus intercidit. Cicero de Oratore c. 8. *Quid porro tam regium, tam liberale, tamque munificum, quam opem ferre ſupplicibus, excitare jacentes, dare ſalutem, liberare periculis, retinere homines in civitate?*

Quæ ſunt vitia periodi?

R. Hæc præcipue: primum, ſi periodus non ſatis ſi numeroſa, neque compoſite fluat; ſecundum, ſi ut numero ſervias, inania verba, ac otio-

ac otioſa identidem congeras; tertium ſi ſæpius eodem modo circumferas orationem, & ſententiam iiſdem pedibus ſæpe concludas.

Quas virtutes habere debet periodus?

R. Interdum concitatæ debent eſſe periodi, interdum remiſſæ, modo currentes tanquam in orbe incluſæ, modo quaſi neglectæ, & ab artis ſuſpicione remotæ, ut commode poſſint vel iracundiæ, vel miſericordiæ, vel dolori, vel admirationi, vel aliis animi motibus inſervire. Id autem fiet ſi vitia memorata vitentur, ſi ſuus inſit verbis ſimplicibus nitor, vis compoſitis, propriis elegantia, tranſlatis verecundia, immutatis, horridis, antiquis, modus, locus, reverentia.

Quid affert orationi periodus?

R. Ut poſſit oratio audientium animis ſuaviter illabi, eoſque modo delinire, modo verborum quaſi orbe convolvere.

Quænam ſpectanda ſunt in contexenda periodo?

R. In

R. In contexenda periodo duo ſpectanda ſunt, numerus ſcilicet, & amplificatio.

Quid eſt numerus periodi?

R. Numerus periodi ex Ariſtotele l. 3. Rh. c. 17. Rhythmus quidam eſt, non exquiſitus ille quidem, nec metricus, qualis in poemate, ſed ita moderatus ac latens, ut ſine artis oſtentatione ſententiam jucundo fine concludat,

In quo conſiſtit hit Rhythmus?

R. In apta quadam & callida verborum collocatione, ut neque aſper eorum concurſus ſit, neque hiulcus, ſed quodammodo coagmentatus ac lævis; unde fiat, ut periodus neque claudicet, nec fluctuet, ſed conſtanter incedat, & æquabiliter fluat, gratumque auribus quaſi concentum efficiat.

Qua ratione numerus conciliatur periodo?

R. Primo ſi, ut modo diximus, verborum ſeries ac ſtructura ita cohæreat, ut nihil habeat, quod aures offen-

offendat? Deinde ſi ratio pedum habeatur, quibus inchoanda, ſed præcipue quibus finieuda ſit periodus. Terminatur autem venuſte periodus longioribus verbis, ut in ſecunda Philippica c. 1. *Te miror, Antoni, quorum facta imitere, eorum exitus non perhorreſcere*. Cavendum tamen, ut ante docuimus, ne ſemper iiſdem pedibus claudatur, quod vitium *Monotonian* Græci vocant.

Quid eſt amplificatio?

R. Amplificatio, quam hoc loco tradimus, ab Iſocrate dicitur ars, qua ex anguſtis & comprehenſis ampla fiunt & explicata, ab aliis dilatatio appellatur. Fit autem cum aliquid pluribus verbis exponitur, quod paucioribus quidem comprehendi poteſt, non tamen pari elegantia & venuſtate.

Qua ratione fit, hæc amplificatio?

R. Quod periodo debet amplificari, vel continetur uno verbo, ut *ſtudeo*, vel duabus vocibus, ut *virtus amanda*, vel tribus, ut *Deus virtutem remunerat*, vel denique pluribus. Id ubi animadverteris,

par-

partes ſingulas amplificabis vel per ſynonyma, vel per definitiones, vel per effecta, alioſve locos Rhetoricos, maxime vero per adjuncta.

Quænam ſunt hæc adjuncta?

R. Adjuncta ex Topicis M. T. Ciceronis ſunt ea, quæ cum re ſunt conjuncta, eamque circumſtant. Hæc autem ſunt ſeptem, quæ verſiculo continentur. *Quis*, *quid*, *ubi*, *quibus auxiliis*, *cur*, *quomodo*, *quando*.

Explica mihi verba ſingula.

R. *Quis* ſignificat perſonam, cujus adjuncta ſunt vel a natura, vel a fortuna. A natura ſunt animi, & corporis bona, animi quidem ingenium, memoria, ſcientiæ, virtutes morales, & hujuſce generis alia. Corporis autem bona valetudo, vires, dignitas in viris, venuſtas in fœminis, & alia hujuſmodi. A fortuna nobilitas, propinqui, amici, divitiæ, honores, & alia. Mala autem, vel a fortuna, vel a natura iis contraria, quæ recenſuimus.

Quid rem notat factam, vel faciendam, opus utile, vel inutile, honeſtum, vel turpe, æquum, vel iniquum.

Ubi

Ubi deſignat locum ſacrum, vel profanum; publicum, vel privatum; in urbe, vel in agro, domi, vel foris.

Quibus auxiliis complectitur cauſas adjuvantes, ſuperos, fortunam, inſtrumenta animata, ut ſervos, & amicos, inanimata ut gladios, & id genus alia.

Cur exprimit cauſam finalem, vel efficientem: ut cur factum ſit aliquid, & qua habita ratione; num lucri, an honeſtatis; qua ſpe, quo metu, quo dolore, qua lætitia.

Quomodo rei geſtæ varios modos explicat; & plurimum huic loco ſervit figura Hypotypoſis, cum cædes aliqua, cum triumphus, aut pompa, aut alia hujuſmodi deſcribuntur.

Quando ſignat tempus rei factæ, vel faciendæ, v. g. num belli ſit an pacis; hiemis, an æſtatis; diei, an noctis.

Quænam particulæ contexendæ periodo aptiſſimæ ſunt?

R. Concinnandæ periodo aptiſſimæ ſunt illæ particulæ, quæ partes ejus ſibi invicem reſpondentes colligant: v. g. *quanquam*, *etſi*, *quamvis*, quibus

bus reſpondent *tamen*, *attamen*, *certe*. Item *quemadmodum*, *ut*, *ſicut*, quibus redduntur *ſic*, *ita*: illæ quoque *non ſolùm*, *non modo*, *ſed etiam*, *cum*, *tum*, aliæque permultæ. Exempli loco ſit prima Ciceronis de Officiis periodus, *Quamquam te*, *Marce fili*, *&c.*

Quotuplex eſt periodus?

R. Periodus multiplex eſt pro varietate membrorum, quibus conſtat. Aliæ enim periodi continentur uno membro, aliæ duobus, allæ tribus, aliæ quatuor, aliæ pluribus.

Da exemplum periodi unius membri.

Cicero pro Marcello c. 1. *Tantam enim manſuetudinem*, *tam inuſitatam*, *inauditamque clementiam*, *tantum in ſumma rerum omnium poteſtate modum*, *tam denique incredibilem ſapientiam*, *ac pene divinam tacitus præterire nullo modo poſſum*.

Da exemplum periodi duorum membrorum.

R. Cicero pro eodem c. 4. *Hæc tua juſtitia*, *ac lenitas animi floreſcet*

ſcet quotidie magis: ita ut quantum operibus tuis diuturnitas detrahet, tantum afferat laudibus.

Da exemplum periodi trium membrorum.

R. Cicero in eadem oratione c. 6. *Gaude iſto tuo tam excellenti bono, & fruere cum fortuna, & gloria, tum etiam natura, & moribus tuis: ex quo quidem maximus eſt fructus, jucunditaſque ſapienti.*

Da exemplum periodi quatuor membrorum.

R. Cicero pro C. Rabirio, c. 1. *Etſi, Quirites, non eſt meæ conſuetudinis initio dicendi rationem reddere, qua da cauſa quemquam defendam; (2) propterea quod cum omnibus civibus in eorum periculis ſemper ſatis juſtam mihi cauſam neceſſitudinis eſſe duxi; (3) tamen in hac defenſione capitis, famæ, fortunarum omnium Rabirii proponenda ratio videtur eſſe officii mei; (4) propterea quod quæ juſtiſſima mihi cauſa ad hunc defendendum eſſe viſa eſt, eadem vobis ad abſolvendum debet videri.*

Quæ

Quæ ſunt aliæ ſpecies periodorum?

R. Rurſus aliæ periodi dicuntur quadratæ, ſeu rotundæ; ſic appellatæ, quod conſtent ex quatuor membris ita in ſe recurrentibus, ut duo poſteriora prioribus ex æquo reſpondeant. Item aliæ dicuntur fuſæ, ac volubiles, quod pluribus contextæ membris longiſſimo verborum circuitu decurrant. Aliæ denique appellantur membratim conciſæ, quod pluribus quaſi articulis, crebriſque commatibus diſtinguantur.

Quomodo utendum eſt hiſce periodorum generibus?

R. Periodi rotundæ, ac volubiles uſurpandæ ſunt potiſſimum in exordiis; in aliis autem orationis partibus cum alicujus virtutes, ac geſta laudantur, aut res alia magnifice exponenda ſuſcipitur. Periodis membratim conciſis uti poſſumus cum aliqua adverſario objicimus, aut ab eo nobis objecta diluimus. Tametſi ars tota nititur Oratoris judicio, qui variis periodorum generibus uti debet, prout res poſtulat, de qua dicit. Illud in primis caveat, ne ſemper, aut frequentiſſime eamdem

perio-

periodi rationem figuramque uſurpet.

Da exemplum periodi membratim conciſæ.

R. Cicero pro Archia poeta c. 7. *Hæc ſtudia adoleſcentiam alunt, ſenectutem oblectant, ſecundas res ornant, adverſis perfugium præbent, delectant domi, non impediunt foris, pernoctant nobiſcum, peregrinantur, ruſticantur.*

Da exemplum periodi fuſæ ac volubilis.

R. Cicero pro Milone c. 1. *Etſi vereor, Judices, ne turpe ſit pro fortiſſimo viro dicere incipientem timere, minimeque deceat, cum T. Annius Milo ipſe magis de Reipublicæ ſalute quam de ſua perturbetur, me ad ejus cauſam parem animi magnitudinem afferre non poſſe, tamen hæc novi judicii nova forma terret oculos, qui quocunque inciderint, veterem conſuetudinem fori, & priſtinum morem judiciorum requirunt.*

Da exemplum periodi quadratæ, ſeu rotundæ.

R. Cicero pro A. Cæcina c. 1.

Si

Si quantum in agro, lociſque deſertis audacia poteſt, tantum in foro atque judiciis impudentia valeret: non minus in hac cauſa cederet A. Cæcina Sex. Æbutii impudentiæ, quam tum in vi facienda ceſſit audaciæ.

FINIS.

MAG 2015014

Digitized by Google